APPENDIX
AD
ELENCHUM,
Antiquitatum Albionenſium.
RES
SAXONUM & SUEVORUM
Vetuſtiſſimas,
Aliaq; ad
HISTORIÆ ALBIONENSIS
Illuſtrationem ſpectantia
Exhibens.

Per Danielem Langhornium *S.T.B.*

Excuſa *Anno Domini*,
MDCLXXIV.

APPENDIX

AD

ELENCHUM,

Inquirens Albionensis

RES

SAXONUM & SUEVORUM

Vetustissimas,

Vinc. ad

HISTORIÆ ALBIONENSIS

Illustrationem spectantia

Exhibens.

Per Danielem Langhorninum S. T. B.

Excusa *Anno Domini*,

MDCLXXIV.

AD

LECTOREM.

Cum Explicatione quædam ac dilatione in nostra Antiquitatum Ambionensium Elencho Egere viderentur, idcirco hanc quæ sequitur Appendicem quasi coronidis vice adjicere haud incommodum existimavi. Admonendum quoq; Te duxi, Lector candide, præter alia errata leviora in isto tractatu,

in eiuſdem Fronte notata, etiam propria quædam nomina Typographo feſtinante prætermiſſa eſſe. Pagina viceſima octava, linea undecima, poſt Haberet, *addidiſſe debuerat* Gonorillam. pag. 100. lin. 8. *poſt*, Militaris, *addendus erat*, Venuſius. *In Genealogia Regia ad finem libelli adjecta*, pag. 8. *poſt* Alexandrum Alani *Filium*, *addendus erat ejus Filius* Gualterius, Alexandri *Junioris & Roberti Pater.* Pag. 9. *poſt* Alanum, Joannem & Matthæum, *alter*

ter Joannes, *alterq*; Matthæus, *ante* Henricum *interſerendi erant*; *ut* & pag. 10. *poſt* Robertum Bruſſium *ejus Filius* Robertus *Rex*, *ante* Marjoriam. *In* Saxonicis *etiam Carminibus* (*quæ correctoris incuria proſaice abſq; debita diſtinctione una cum latina eorundem tranſlatione imprimuntur.*) *pro litera* ſ *ubiq; vitioſe*, pag. 34. *pingitur litera* ȝ y, pag. 80. lin. 27. *pro* Hertfordienſi *lege* Bedfordienſi. Pag. 85 lin. 18. *Periodi Punctum. quod* Portceſtriæ *erat poſt-*

ponendum, male præcedit. Pag. 179. lin. 21. *ante* Vallum, *interseratur intra clausuram,* [ ] Aut. Pag. 275. lin. 15. *post* Nova, *adde* Colonorum.

Vale, mi Lector, ignosce, & emenda.

APPEN.

APPENDIX
AD
ELENCHUM,
Antiquitatum Albionenſium.

GUlielmus Malmesburienſis Author gravis, Regum *Anglorum* proſapiam a *Streſæo* quodam petit, ulteriuſq; aſcendere neſciens, ita ſtemmatis recenſionem abſolvit, Hic ut dicitur fuit Filius *Noæ*. Hunc auſu nimis temerario nonnulli in *Sethum* & *Semum* tranſmutarunt. Fuit ille *Beduigi* Pater, *Gualæ* Avus, *Hadræ* Proavus, primuſq; *Saxonum*, ac *Sucvorum* Rex. *Hadram* Annales *Anglo-ſaxonici Hrawrainum* appellant. *Hadræ* Filius Gul. *Mal.* *Lib.* 2.

Filius fuit *Ittermonius*, qui *Heremodium* genuit. Hujus tempore *Saxones Sueviq;* in illa *Sarmatiæ* parte, quæ Mari *Baltico* adjacet, conſederant; unde *Scephus Heremodii* Filius, armis (adhuc puerulus) circundatus, navi ſine remige impoſitus atq; ad quandam *Germaniæ* Inſulam, quam *Fabius Athelvardus, Scani, Gulielmus Malmesburienſis Scamphtam* vocat, (uterq; *Sialandiam* quæ & ipſa *Scandia* dicta eſt intelligit) advectus, poſito ad caput frumenti manipulo) unde inditum *Scephi* nomen) dormiens, ab incolis pro miraculo exceptus & ſedulo nutritus eſt. Interea temporis *Saxones* & *Suevi* in *Germaniam* penetrarunt per Mare *Balticum* ſive *Sarmaticum* eo tranſeuntes; mortuo *Heremodio*, *Scephus*, qui per hæc adoleverat, comperto jam ipſius caſu ac genere, a *Saxonibus* Regno admotus, in oppido quod recentioribus dicitur *Sleſvicum*, prius vero *Heithibi* appellabatur, imperavit. *Seepho* natus eſt *Scaldius* fluvii *Scaldis Eponymus*, cujus Filius *Beovinus Tetuam* ſive *Tectium Getæ* Patrem genuit. *Getam* in Deorum numerum a poſteris relatum haud immerito ridiculum numen appellat *Sedulius* in Paſchali Carmine.

Athel. Lib. 3.

Witik. Lib. 1.

Sedul.

Cum

Cum ſua Gentiles ſtudeant figmenta Poetæ
Grandiſonis pompare modis tragicoq; boatu,
Ridiculove Getæ *ſeu qualibet arte canendi*
Sæva nefandarum renovant contagia rerum.

Ille nonnullis *Jutho*, aliis *Gutto*, *Guitto*, *Vitto*, & *Vita* nominatur; mortuo *Boghio* ſive *Boccero* ultimo Cimbrorum Judice, Cimbriam ſubegit; Inſulas deinde *Balticas* aggreſſus, cum *Dano* primo *Danorum* Rege bellum geſſit, ac poſt illatas acerbas utrinq; clades, ſociata ejus Filio *Humblo Adela* Filia, & pace compoſita, ad *Gothos* in *Sarmatia* Militantes, cum haud contemnenda auxiliarium manu ſe contulit, a quibus magno exinde in honore habitus eſt; & ab illo *Jutæ* procedente tempore etiam *Vitæ* dicti ſunt. Poſteri ejus, ſucceſſuum *Gothicorum* participes, in *Aſgardia Aſæorum* (aut *Aſiötarum* ſive *Aſpurgianorum*) Metropoli Regiam ſedem habuere uſq; ad *Odini* magni in *Germaniam* reditum. *Danus* Rex *Getæ* noſtro *Coætaneus* anno ante Chriſtum Natum quadrageſimo nona-

Pontan. *Hiſt. Dan. Lib.* 1.

Anno ante Chriſtum 490.

Shering. *de Angl. Orig.*

Gaſſar. & Pontan. Hiſt. Dan. Lib. 2.

nonageſimo juxta *Gaßarum* floruit. Interim *Saxoniæ* præfuiſſe memoratur *Henricus* quidam, a *Gramo Danorum* Rege interfectus; quem viciſſim (a *Saxonibus* vindictæ cupidis adjutus) occidit *Sibdagerus Norvegiæ* Rex, qui *Nori* Filius, *Thorronis* Nepos, *Fernioti* Pronepos (quorum meminit *Arngrimus Jonas*) extitiſſe videtur. *Henrico* ſucceſſit *Sifridus*, qui cum *Toſtone* contra *Hadingum Grami* Filium pugnavit. *Geta* autem *Godulphum Finni Finnorum* eponymi Patrem genuit, *Fridulphi* Avum, *Frelaphii* Proavum, *Fridoaldi* Abavum, *Odini* Atavum. Bellator inclytus fuit *Odinus*, qui ut *Snorro Sturlæſonus* refert per varias Orbis Terrarum Oras & Regiones, victricia arma circumferens, innumera Regna ditioneſq; ſuam redegit in poteſtatem utpote victor & triumphator fæliciſſimus ſemperq; pugna ſuperior excedens; quare in omnibus, inquit ille, præliis victoriam ipſi ſingulari quadam cælitum indulgentia tribui vulgo erat perſuaſiſſimum. Gentilium Deorum apud ſuos Pontifex Maximus & Magicarum præſtigiarum callentiſſimus fuit, uſq; adeo ut ſe in quadrupedem, alitem aut piſcem quoties liberet mutare, in nictu oculi quovis terrarum procedere, ignis

Jonas. Arngr. *Reſp. Iſland Cap. 4.*

Snor. Sturl.

fervo-

ſervorem aut Maris æſtum carmine compeſcere, aliaq; id genus facere (aut facere videri) perhibeatur quæ humanas vires ſuperabant, quibus artibus magni numinis famam & dignitatem apud deceptos Ethnicos ſibi comparavit. Urbem ejus Aſgardiam ut prænobili aliquo nomine inſignirent, alii *Byzantium*, alii *Trojam* in ſcriptis ſuis appellitare conſueverunt. Regnantibus in *Dania Hadingo Gramí*, in *Suecia Norvegiaq;* *Aſmundo Sibdageri* Filiis primum inclareſcere cæpit. Ea tempeſtate, inquit *Saxo Gramaticus*, cum *Othinus* quidam *Europa* tota falſo Divinitatis titulo cenſeretur, apud *Upſalam* tamen crebriorem diverſandi uſum habebat: eamq; ſive ob incolarum inertiam ſive locorum amœnitatem ſingulari quadam habitationis conſuetudine dignabatur. Cujus numen ſeptentrionis Reges propenſiore cultu proſequi cupientes, effigiem ipſius auteo complexi ſimulacro, ſtatuam ſuæ dignationis indicem maxima cum religionis ſimulatione, *Byzantium* (ita *Saxo* honoris gratia Aſgardiam nuncupat) tranſmiſerunt, cujus etiam brachiorum lineamenta conſentiſſimo armillarum pondere perſtringebant. Ille tanta ſua celebritate gaviſus, mittentium chari-

Saxo Gra. *Hiſt.* Danic. *Lib.* 1.

charitatem cupide exoſculatus eſt. Cujus conjux *Frigga* (ſive *Freæ*) quo cultior progredi poſſet, aſcitis fabris aurum ſtatuæ detrahendum curavit. Quibus *Othinus* ſuſpendio conſumptis, ſtatuam in crepidine collocavit, quam etiam mira artis induſtria ad humanos tactus vocalem redidit. At nihilominus *Frigga* cultus ſui nitorem Divinis mariti honoribus anteponens, uni familiarium ſe ſtupro ſubjecit, cujus ingenio ſimulachrum demolita aurum publicæ ſuperſtitioni conſecratum ad privati luxus inſtrumentum convertit. Nec penſi duxit impudicitiam ſectari, quo promptius avaritia frueretur. Indigna fœmina quæ numinis conjugio potiretur. Hoc loco quid aliud adjecerim, quam tale numen hac conjuge dignum extitiſſe. Tanto quondam errore mortalium ludificabantur ingenia. Igitur *Othinus* gemina uxoris injuria laceſſitus, haud levius imaginis ſuæ quam tori læſione dolebat. Duplici itaq; ruboris irritamento perſtrictus, plenum ingenui pudoris exilium carpſit, eoq; ſe contracti dedecoris ſordes aboliturum putavit. Cujus receſſu *Mithotin* quidam preſtigiis celeber, perinde ac cœleſti beneficio vegetatus, occaſionem & ipſe fingendæ Divinitatis arripuit,

ripuit, barbarasq; mentes novis erroris tenebris circumfusas, præstigiarum fama ad ceremonias suo nomini persolvendas adduxit. Hic Deorum iram aut numinum violationem confusis ac permixtis sacrificiis expiari negabat, ideoq; eis vota communiter nuncupari prohibebat, discreta superum cuiq; libamenta constituens. Qui cum *Othino* redeunte, lecta præstigiarum ope, latendi gratia *Pheoniam*, (*rectius Sueoniam*) accessisset, concursu incolarum occiditur. Cujus extincti quoq; flagitia patuere, siquidem busto suo propinquantes repentino mortis genere consumebat, tantasq; post fata pestes edidit, ut pene tetriora mortis quam vitæ monumenta dedisse videretur, perinde ac necis suæ pœnas a noxiis exacturus. Quo malo obsusi incolæ egestum tumulo corpus capite spoliant, acuto pectus stipite transfigentes; id genti remedio fuit. Post hæc *Othinus* conjugis fato pristinæ claritatis opinione recuperata, ac veluti expiata Divinitatis infamia, ab exilio regressus, cunctos qui per absentiam suam Cœlestium honorum titulos gesserant tanquam alienos deponere coegit, subortosq; magorum cœtus; veluti tenebras quasdam supervenien te numinis sui fulgore discussit.

Nec

Nec ſolum eos deponendæ Divinitatis verum etiam deferendæ patriæ imperio conſtrinxit merito terris extrudendos ratus, qui ſe Cœlis tam nequiter ingerebant.

Hæc *Saxo* de *Odino*, quem *Othinum* vocat, complurium annorum geſta ſimul coacervans. Reges autem illi prædicti ſeptentrionales, qui ſtatuam *Odini* auream ad ipſum junctim tranſmiſerunt, videntur fuiſſe, *Hadingus Danus* & *Hundingus Suecus* principes amiciſſimi: Nam inter *Hadingum* & *Hundingi* Patrem *Aſmundum* Fratremq; *Uffonem* perpetuæ inimicitiæ, nulla vero Officiorum commercia interceſſerunt. *Hadingo Frotho*, *Hundingo Regnerus* ſive *Reinerius* Filii ſucceſſerunt, quorum tempore *Odinus* injuriis prædictis ab Uxore affectus eſt: *Frothoni* ſucceſſit *Haldanus*, Fratrum *Roi* & *Scati* cæde infamis. In hujus tempora conjiciendum eſſe ſpontaneum *Odini*, Uxoris petulantiam laſciviamq; ulterius ferre non valentis exilium arbitror. Ad contumelias muliebres aliud abeundi incentivum acceſſiſſe videtur. Dilecti Filii *Balderi* fatæ violentæ, arte, qua cunctis mortalibus antecelluiſſe memoratur, magica præcognoſcentem, ac proinde Divina omnia atq; humana de ultione

ultione ſollicitantem juſſit *Roſtiophus* *Finnicus* alium ex *Rinda Ruthenorum* (ſive *Ruſſorum*) Regis Filia heroem ſuſcitare, qui fraternæ cladis pœnas exigeret. Ille igitur *Ruſſiam* petiit, ibiq; plurimum temporis tranſegit, inclementer a puella tractatus atq; indigna ſe plurima agens paſſuſq; antequam optato concubitu potiretur. Fit Miles, Faber, Senex, Mulier, ut voti compos evadat. Duo *Odino* Fratres erant *Væus* & *Velirus* ipſi etiam pro Diis habiti, qui eo peregre abſente, vel bellis occupato vicarium gerebant imperium, cunctaq; regni negotia magna cura atq; induſtria adminiſtrabant. Cum iis erant conjuncti duodecim ex Senatoribus qui cæteris pietate & ſapientia præminentes non ſolum Religioni ceremoniiſq; rite curandis, ſed & litibus dirimendis præſidebant, Diarii dicti, id eſt, Dii ſive Divini, & Drotnarii, id eſt, Domini. Iſti igitur Deaſtri non ſolum diuturnam *Odini* abſentiam ægerrime ferentes, ſed etiam variis eum (puellæ mancipatum) Majeſtatis detrimentis Gloriam Divinitatis maculaſſe audientes, Regno ac primatu ſubmovendum duxerunt. Diviſerunt itaq; *Væus* & *Velirus* inter ſe provincias & regiones, quibus Frater hactenus præfuerat,

Idun Lib. 3.

Snorro in Chron. & Saxo Lib. 3.

Frigga

Friggæ ſimul tutelam & patrocinium ſuſcipientes. At ſupra ſeſe omneſq; *Diarios Ollerum* quendam non tantum in Regni, ſed etiam in Divinitatis inſulas, ut *Saxo* tradit, ſubrogarunt. Quem licet perfunctorie flaminem creaviſſent; integro rerum honore donabant, ne alieni officii procurator ſed legitimus dignitatis adverteretur eſſe ſucceſſor. Et ne quid amplitudinis deeſſet, *Othini* quoque ei nomen imponunt, vocabuli favore invidiam novitatis excluſuri. Quo denis ferme annis Divini ſenatus magiſtratum gerente, tandem *Othinus* Diis atrocitatem exilii miſerantibus, ſatis jam graves pœnas dediſſe viſus ſqualoris deformitatem priſtino fulgoris habitu permutavit. Jam enim ſuperioris infamiæ (*Rythenicæ*) notam medii temporis intervallum exederat. Igitur *Ollerus* ab *Othino* pulſus in *Sueciam* conceſſit: ubi veluti novo quodam orbe opinionis ſuæ monumenta reſtaurare conniſus, a *Danis* interfectus eſt. Fama eſt illum adeo præſtigiarum uſum calluiſſe ut ad trajicienda maria oſſe, quod diris carminibus obſignaviſſet, navigii loco uteretur; Nec eo ſegnius quam remigio præjecta aquarum obſtacula ſuperaret. At *Othinus* recuperatis Divinitatis inſignibus tanto opinionis fulgore cunctis

Saxo Lib. 3.

cunctis terrarum partibus innitebatur, ut eum perinde ac redditum mundo fulmen omnes gentes amplecterentur, nec ullus *Arctoi* orbis locus extaret, qui numinis ejus potentiæ non pareret.

Hactenus *Saxo*, de *Ollero*, quem eundem eſſe cum *Mithodino* antea memorato, ipſa rerum ſeries evincit: proprio ille nomine *Ollerus* dictus, & *Mithodinus* id eſt, Medius *Odinus* agnominatus eſt. Non me latet, *Odinum* juxta *Saxonis* narrationem, cum principis *Ruthenici* Filia conſueviſſe, Filiumq; ultorem ex ea ſuſcepiſſe, poſt trucidatum ab *Hothero Balderum*; qua in re, ut ei aſſentiamur non patitur temporis ratio: Neque enim *Odinum* eouſq; vitam produxiſſe, aut ea ſaltem corporis infirmitate ut liberis creandis operam daret tunc temporis viguiſſe, eſt veriſimile. Præterea *Meſſenius Gothicus* in antiquitatibus *Sigtuni* (ex *Joanne Martini Slangerupenſi*, vetuſto Hiſtoriæ *Norvegicæ* ſcriptore, & magnæ apud ſuos autoritatis) *Odinum* protinus ubi *Ryſſlandiam* ſive *Ruſſiam* ſubegiſſet, (quod diu ante geſta inter *Balderum* & *Hotherum* bella factum eſſe mox oſtendemus) eidem *Boum* Filium (eum nimirum quem ex *Rinda* ſuſtulerat) præpoſuiſſe tradit.

Shering *de* Angl. *Origg. in* Cap. 12.

Recepta igitur poteſtate, ac reſtituta ſibi a fratribus Uxore (juxta *Norvegicum Snorronis Sturlæſoni Chronicon*) arma *Scythis Tanai* contiguis, *Vaner* dictis, intulit. Quibus animoſe reſiſtentibus, demum pax convenit, datis utrinq; obſidibus. *Scythæ* viros ampliſſimos *Niordum* cognomento *Divitem*, cum ipſius Filio *Froo*, quem ex ſorore Matrimonio ſibi copulata, (quod *Scytharum* lege permittebatur) genuerat, tradiderunt. *Aſæi* viciſſim *Scythis Heinerum*, quem ſummi imperatoris munere recte defungi poſſe aſſerebant, & *Mimerum* conſiliarium ſapientiſſimum tranſmiſerunt. Cui officio ut paria facerent *Scythæ* inſuper, & alium Heroem nomine *Quaſirum*, qui apud illos cæteris mortalibus ſapientior habebatur, ad *Aſæos* ablegarunt. *Heinero* ſtatim in *Scythas* obtigit imperium, qui nihil fere *Mimero* inconſulto geſſit. Sed eo deſtitutus, cum in conventibus ſedenti pro tribunali graviores controverſiæ exhiberentur, ſeſe illis dirimendis imparem crebro confeſſus eſt. Tum *Scythæ* cognito ſe ab *Aſæis* inæquali obſidum permutatione deceptos, abſciſſum *Mimeri* caput eis mittendum curarunt; quod *Odinus* balſamo conditum magicis carminibus vocale reddidit, ita ut confractæ ab Uxore

ore ſtatuæ vicem ſuppleret, & quævis ipſi arcana ac rerum abdita revelaret. Dehinc *Niordum* & *Froum* Divinitatis participes factos in Deorum *Aſæorum* numerum aſcripſit. *Froi* quoq; Filia *Freia* (diverſa ſcilicet a *Frea* ſive *Frigga*, *Odini* conjuge) in Dearum cætum & conſortium aſſumpta: quæ præſtigias, veneficia & incantamenta ab *Aſæis* edocta, *Scythis* mirifice placuit. Mox ut erat fatidicus & præcipua Divinandi ſolertia præditus, inquit *Snorro*, nomen ſuum in ſeptentrione præ cunctis regibus maxime celebratum iri, ſeq; progeniemq; ſuam ad ſeros uſq; nepotes, illic imperitaturum cognovit & prævidit. Aſſumptis igitur illorum *Saxonum* ac *Suevorum*, quos eo *Geta* Tritavus traduxerat poſteris, una cum ingenti *Aſæorum* agmine, fratribus *Væo* & *Veliro* regimen *Aſgardiæ* demandavit. Ipſe cum Uxore *Frigga* & liberis diſceſſit ut paterna (*Saxoniæ Sueviæq;*) regna, ut *Meſſenius* loquitur, nempe Patribus & Majoribus ſuis olim parentia, quæ in ſeptentrione (ſcilicet parte *Germaniæ* ſeptentrionali) erant, in ditionem ſuam ſuſciperet. Porro in *Ryſſandiam* ſive *Ruſſiam* profectus eſt, quam fæliciter in deditionem recepit, eiq; Filium *Boum* præpoſuit. Deinde, ut *Edda Iſlandica* habet,

Edda Iſlandica & Snorro *in Chron. Norveg.*

Meſſen. *ex* Joan. Martin.

habet, terram Aquilonis ingreſſus, quæ *Saxonia* vocatur, ibi per annos multos vixit, iſtamq; regionem una cum *Francia*, *Sueviaq;* antiqua, late poſſedit, quas demum Filijs ſuis regendas commiſit, quorum tres nominatim memorat *Edda* ſcilicet *Begdegum* (ſeu potius *Beldegum*) *Vegdegum* & *Siggum*. Hinc in aliam migravit regionem, quæ tunc (a *Gothis* olim inter Cimbros ibidem degentibus) *Reidgotolandia* dicebatur, nunc autem *Jut-landia* ſive *Jutia* appellatur. Huic terræ Filium *Scioldum*, ex quo *Fridlevus* genitus eſt, præfecit, quem nonnulli (ab illo *Tenebrione* qui *Sturlæſoniæ Eddæ* prologum adulteravit) decepti, *Scioldo Daniæ* Rege, *Grami* patre, perperam confuderunt. Inde in *Fioniam* inſulam tranſiit eamq; occupavit, ibiq; *Odenſeæ* nomen dedit. Interea *Niordus* ejus comes individuus Uxorem duxerat *Scadam* nomine, quæ paulo poſt, ipſo relicto, nupſit *Odino*, ex qua ille plurimos Filios ſuſtulit, quorum uni nomen erat *Semingus* ſive *Hemingus*. *Norvegiam* ſenex cum *Aſæis* ſuis petijt ac ſubegit, quam ſub ſe adminiſtrandam *Hemingo* præfato addixit, unde tandem in *Sueciam* irrupit. Regnavit in *Sueciæ* parte ſub *Hotobrodo* Rege *Reinerij* & *Suanovitæ* Filio, *Gilvo Geiteri* Filius, *Gori* (qui *Nori* quondam

quondam *Norvegiæ* Regis, frater extitit) Nepos. Ille ætate jam admodum provectus & quietis cupidus advenienti *Odino Sigtunum* icto fœdere cum adjacente territorio conceſſit, quod ille diu concupiverat, fertilitatem ejus & pulchritudinem dum adhuc in provincia *Sleſvicenci* commoraretur a *Geſiona* Saga edoctus. Hic magnificentiſſimam extruxit baſilicam *Odinus*, ſacrificijs ibidem ſecundum ritus & ceremonias *Aſæorum* inſtitutis. Quin & regione iſta undiq; ſecus occupata, in eam quaſi coloniam quandam Deaſtrorum deduxit, quibus certas ſedes & delubra aſſignavit. Ita *Niordo Moalum* alias *Nuburgum* dictum, *Freio* ſive *Freiero Upſala*, *Thorroni Trudvagner*, *Baldero Brodeblie*, *Heinero Hundburgum* ceſſerunt. Nam *Scythæ Heinerum* imperio ſubmoverant, & ad *Aſæos* profugere coegerant, atq; ut *Odinum* placarent quotannis ei denarium tributi loco ſolvebant in ſingula capita cujus eſſet viciſſim officium tueri eos contra adverſarios ac hoſtes, & cultum Deorum religionemq; propagare. Hic demum vitæ ſatur & valde grandævus regnantibus in *Dania Roo* & *Helgone* morti ſuccubuit, poſtquam omnia membra artuſq; novem cicatricibus inſigniri juſſiſſet, & cum

magna auri argentiq; copia ſolennibus nænijs exurebatur. Poſt mortem, multis apparuit, præſertim ſi grave aliquod prælium immineret, victoriamq; ipſum aſpicientibus attuliſſe credebatur, unde mortuus plures cultores quam vivus habuit. Quod ad habitum ejus, dum viveret, & formam attinet, vultu ſemper hilari, jucundo & ad omnes lepores facetiaſq; & ad jocum atq; lubentiam compoſito amicis ſe conſpiciendum præbuit: hoſtibus vero truculentum ſe exhibuit; quippe in varias formarum ſpecies, inſtar Protei cujuſdam ſe transformare noverat. Multas porro leges tulit, quas inter has fuiſſe præcipuas memoriæ proditum eſt. Edixit namq; ut mortuorum vel in bello cæſorum cadavera igne conſumerent, una cum bonis & ornamentis potioribus, cineres vero aut defoderent in terram, aut in fluvios ſpargerent. In memoriam procerum & magnatum colles erigerent, monumentis impoſitis, quæ defunctorum res geſtas celebrarent. Ter ſingulis annis ſolennia ſacrificia peragerent, brumali tempore pro anni fælicitate, media hyeme pro fertilitate, circa finem hyemis pro victoria. Dictus eſt *Scaldrarum*, id eſt Poetarum & *Bardorum*, *Aquilonarium* Pater, & *Runhofdi*, i. e. *Runarum* caput, utpote

utpote poeticæ apud *Arctoas* gentes artis & *Runici* Sermonis author: quem ſcilicet Sermonem, Deos antiquiſſimos adinveniſſe, ſenem quendam nomine *Fimbulum Aſæorum* ſcribam & prophetam literas in lucem edidiſſe et propagaſſe *Odinum* vero excidiſſe, *i. e.* ita exaraſſe ut in cantationibus, maleficijs diriſq; peragendis appoſitæ habileſq; forent, quod ſine arte præſtari non poterat, *Scaldri* comminiſcebantur. Ipſe a borealibus invocantibus *As*, vel *Aas*, *id eſt*, *Aſæus*, ejuſq; duces *Aſer*, *id eſt*, *Aſæi* a regione unde venerint appellabantur, quæ juxta *Sindicam* in *Aſiatica Sarmatia* ad Mare *Boſphoranum* poſita, et peculiarius *Straboni Aſia* dicta eſt, ab *Aſæis*, *Ptolemæo* memoratis, illic ex *Scythia* intra *Imaum* migrantibus, qui etiam ut diximus *Aſiotæ* et *Aſpurgiani* vocabantur. Poſt ictum *Gilvonis* prædicti opera cum *Sueeis* fœdus, crebrum apud *Upſalam* diverſandi uſum habuit, uti proleptice in loco antea a nobis citato narrat *Saxo Grammaticus*: proleptice inquam, nam ſi in *Suecia* tunc temporis egiſſet, fruſtra ad alium eundemq; remotiorem locum ſimulachrum aureum tranſmiſiſſent ſeptentrionis Reges. Hinc illi *Upſalenſis* cognomen additum, quo ab alijs ejuſdem nominis heroibus diſtingueretur. Quippe

Strab. Geogr. Lib. 11

alios inſignes præter hunc noſtrum extitiſſe *Odinos* monuit *Brynolphus Suenonius* Epiſcopus *Scahaltenſis* in ſuis ad *Saxonem* conjectaneis. Primus, *Aſianus* dictus eſt, et *Odin hin Gamle*, i. e. *Odinus Priſcus*, qui nunquam in *Europam* venit, ſed ſacra ejus cultuſq; ab alijs adductus. Hujus Patrem cum ignorarent, *Saturni* Filium fuiſſe illum opinati ſunt. Alter, ille ipſe eſt de quo hactenus verba fecimus. Tertius axo Lib. & 3. *Ollerus* fuit, qui *Mith-odinus*, i. e. *Medius Odinus* et ſimpliciter *Othinus* appellabatur. Sed et præter hos alius apud *Joannem* Magnum, in Regum *Sueogothicorum* catalogo nonus, occurrit inter igri. Jo- s de Re- b. Iſl. ap. 4. *Alonem* et *Carolum Othinus* ſive *Othen.* Noſtrum vero *Odinum*, *Arngrinus Jonæ* (contra *Saxonis Joannis* Magni aliorumq; fidem ac authoritatem ex *Joannis Martini*, Chroniciq; antiqui *Sueo-gothici* verbis male intellectis ut videtur in errorem inductus) in *Europam* metu *Pompeii Aſiam* vaſtantis immigraſſe, atq; poſt varios caſus ac labores exantlatos, in *Norvegiam* anno ante natum Chriſtum viceſimo quarto penetraſſe ibique imperaſſe refert. Quamquam per ea tem- Saxo Lib. Joan. Lib. pora *Gotharum Fridlevo* ac *Frotheni Danis* contemporaneum *Norvegiæ* ex *Saxone* et Magno præfuiſſe liquet, quod nos

in

in priore noſtro, ſcilicet de Antiquitatibus Albionenſibus, tractatu animadverteramus. Scripſerant *Joannes Martini* et Cronici *Sueo-Gothici* concinnator *Romanos ea tempeſtate prædatum in alias provincias & regna procul exiiſſe, eademq; ſubegiſſe; & proinde, virum providum* Odinum *tanquam ex ſpeculo proſpexiſſe futurum aliquando ut populoſæ illæ* Gentilium *Provinciæ* Romanum *jugum ſubirent, ideoq; cum magna hominum multitudine quos eadem formido invaſerat diſceſſiſſe.* At longe alijs rationibus permotum abiiſſe jam antea ex *Edda* et *Chronico Snorronis Sturlæſoni Norvegico* oſtendimus, quibus nec ipſum *Chronicon Sueo-Gothicum* refragatur. Quippe id quod nunquam factum eſt, quo utiq; pacto *Odinus* prævidere potuit? cum *Aſiaticam Sarmatiam Romani* juris factam nullibi legimus. Interim in *Europam* veniſſe illum, quo tempore *Romani* victricia per *Aſiam* arma circumferrent, haud diffitemur. Id vero non cum *Lucullus* et *Pompeius Mithridatem* et *Tigranem* ſed cum *Scipiones Antiochum* Magnum debellarunt, circiter annum ante Chriſtum natum centeſimum nonageſimum contigiſſe exiſtimamus. A *Paulo Diacono Godan* appellatur. Unde juxta *Sheringamum*, *Sialandia* (prius *Wetal-*

Anno ante Chriſtum 190.

Wetallaheeth) poſt ejus adventum *Godanonia* ſive *Codanonia*, totumq; illud fretum incolis circumfluum ſinus *Godanus* ſive *Codanus* vocari cæpit. Aliorum quoq; locorum plurimorum in *Ruſſia*, *Scandia*, *Dania*, *Germania*, *Angliaq;* nomina partim a ſeipſo partim a poſteris impoſitæ ejus memoriam hactenus conſervant.

Gul. Malm *Lib.* 1. *c ap.* 3. Florent. Vigorn, Edda *Iſl*, Arngrin. Jonas, & Saxo Gra.

Filios habuit *Veldegium* (ſoli *Malmsburienſi* memoratum) Regum *Cantianorum*, *Caſeram Anglorum* Orientalium, *Exanetam Saxonum* Orientalium, *Vilelgetam* Merciorum (*Malmsburienſi Vitlegium*, ni forſan ille ejus ex Filio nepotem *Vitlegium* intelligat.) *Vegdegum Deirorum*, *Beldegum Saxonum* Occidentalium Regum, et *Vintam* Regulorum *Lincolnienſium*, Progenitores. Præterea *Thorronem*, *Balderum*, *Boum*, *Hemingum*, *Tyrum*, *Siggum*, *Scioldum*, *Ingonem* et alios. Ab *Ingone* cujus poſteri *Inglingar* dicti ſunt, pars *Suevorum* nobiliſſima, lingua vernacula, *Inglings* et *Ingliſch* nominari videantur; unde a *Romanis* concinnata fuerit Latina *Anglorum* appellatio.

Odino in *Norvegia* et parte *Sueciæ* ſucceſſit *Niordus*, ut ex *Olao Wormio* et *Chronico Sueo-Gothico* intelligimus. Quo

mortuo

mortuo in plura iterum Regna diſtributa eſt *Norvegia*: Ita ut in parte ejus potiore regnaret *Gevarus* cognomenta ſapiens, in *Halogia Hilgo*, in *Finmarchia* et *Biarmia Cuſo*. Interea Regis *Haldani* Filius *Helgo* cum *Roo* Fratre Regnans, adoleſcens ferox pariter et laſcivus dum piraticam exercet, *Thora* Virgine in inſula quæ ab illa dicta eſt *Thoro*, conſtuprata, *Urſam* Filiam genuit: Mox *Cimbris* bellum intulit. Iis arctiſſima confæderatione adſtricti erant *Saxones*, quibus eo tempore præfuit una cum aliquibus *Odini* Filiis *Siricius* quidam. Hic Filium *Hundingum* Cimbris auxilio ſubmittit, quem *Helgo* victum retroegit, fugientemq; acriter inſecutus, *Stadij* duello ſuperatum occidit, *Cimbriæq;* quæ ex pacto victori ceſſit in præmium, jus procurationemq; ducibus ſuis commiſit addita etiam in contumeliam lege, ut ingenui libertiq; cædes illic pari ſumma rependeretur: perinde ac liquido conſtare volens, quod cunctas *Germanorum* familias æqua ſervitus teneret omniumq; corrupta libertas parem conditionis infamiam redoleret. Cum ad inſulam *Thoro* piraticam reflexiſſet, *Thora* nec dum amiſſæ Verginitatis mærore depoſito, turpi commento, nefariam ſtupri ultionem excogitavit: Siquidem

quidem Filiam *Urſam* nubilis ætatis, de induſtria littori immiſſam concubitu patrem maculare juſſit, ex qua ille *Rolphonem* genuit: At *Roum* tribus prælijs vicit, & interfecit *Hotobrodus Suecus*, quem viciſſim peremit *Helgo*, compertoq; demum quod cum propria Filia coiiſſet, doloris atrocitate extinctus eſt. Duos ex *Guritha* conjuge (quæ *Gevari* Soror & *Gilvonis* Filia ſeu Neptis fuiſſe videtur,) Filios reliquit *Hotobrodus*, *Atiſlum* ſive *Attilum* et *Hotherum* a *Gevaro* educatos. *Atiſlus* Patri in Regno *Suecico* ſucceſſit, permiſſis *Hothero* copiis Maritimis. *Atiſlus* Paternæ necis vindicandæ ratione callidius quæſita *Urſam* ſibi conjugio ſociandam curat, intercedente connubij affinitate *Rolphonem*, qui in Regno *Danico* Patri ſucceſſerat, dolo oppreſſum iri ſperans. Cum ea agit ut Filiam in *Sueciam* accerſat, quæ quia jam maritum averſari cæperat, Regia pecunia furtim aſportata cum *Rolphone* in *Daniam* fugit. Hinc ad arma ventum eſt, commiſſoq; prælio congreſſus cum *Biarcone* pugile *Danico* *Atiſlus*, ab eodem graviter ſauciatus proſternitur. Vincuntur *Sueci*, Regem tamen periculo ſubduxerunt. Victor *Rolpho* vitricum Regno ſpoliat, cui *Hiartuarum* Sororis *Sculdæ* conjugem, annuo vectigali

vectigali impoſito præfuit, *Hiartmanum Joannis* Magnus vocat. *Hotherum* quo minus Fratri ſuccurrere poſſet, *Gelderus* et *Balderus* diſtinuerunt. *Hundingi* ab *Helgone Dano* cæſi Frater fuiſſe et *Siricio* Patri ſucceſſiſſe *Gelderus* videtur: quamquam *Petrus Albinus* Hiſtoriographus *Saxonicus*, peſſime iſtic tempora ſupputans, annorum fere ducentorum intervallum inter *Hundingum Gelderumq;* perperam ſtatuit. Eum *Hotherus Gevari Norvegi* conſilio uſus, maritimo conflictu ſuperat, deinde vires in *Balderum* convertit, quem ipſi infenſum reddiderat *Nannæ Gevari* Filiæ amor, quam uterq; conjugem depoſcebat. *Gelderus* recollectis inſtauratiſq; copijs *Baldero* ſe adjungit. *Hotherus* ab amico ſuo *Helgone Halogiæ* Rege exoratus *Thoram Cuſonis Finmarchiæ Biarmiæq;* Regis Filiam illi impetrat. Inde cum eodem *Helgone* audacter *Geldero* et *Odini* Filiis *Thorroni Balderoq;* occurrit. Fit atrox prælium navale; inter pugnandum *Odinus* apparuiſſe, Filioſq; adjuviſſe fertur. Nihilominus *Hothero* ceſſit victoria fictitiiq; iſti *Deaſtri* fuga ſibi conſuluerunt. *Saxones* vero cum principe *Geldero* ad internecionem cæſi ſunt; Victor *Hotherus* cupitis *Nannæ* complexibus fruitur. Per

Joan. Mag. Hiſt. Lib. 2 Saxo. Lib. 3.

idem

idem tempus *Hiartuarus* aliiq; *Sueonum* magnates ſolvendi tributi gratia *Daniam* petentes, orta illic diſſenſione, *Rolphonem* interficiunt et ipſe *Hiartuarus* eodem die a *Viggone Danico* Milite trucidatur. Ita *Hotherus Rolphonem*, quem quod ab ejus Patre ſuum interfectum meminiſſet, vita ſpoliare debuerat, ni alii hoſtes prohibuiſſent; aliena opera ſupplicium luiſſe, et *Hiartuarum* celeres interempti Regis pœnas dediſſe cognoſcens, *Sueciæ* claſſem applicat, ubi a popularibus, ob egregia Patris merita loco Regio cultus, *Atiſium* Fratrem reſtituit. Ipſe deſtitutam ducibus *Daniam* adiit, quod Regnum avito ſibi jure competere dicebat, ſi rite majorum ſtemmata revolvantur. Fuit enim ejus Pater *Hotobrodus Hadingi Daniæ* Regis ex Filia *Suanovita* Nepos. *Iſoram* igitur *Sialandiæ* portum ingenti claſſis numero occupat, imminentis fortunæ beneficio uſurus. Ubi Rex ab occurrente ſibi *Danorum* populo conſtitutus, paulo poſt *Atiſli* Fratris, quem *Suecis* præeſſe juſſerat, exceſſu cognito, *Suecicum Danico* imperium ſociat. *Atiſius* enim dum *Rolphonis* quem impenſe oderat, inferias per ſummam animi hilaritatem convivio celebraret, potione avidius ſumpta, ſubito fine ſordidæ intemperantiæ

pœnas

pœnas pependit. Cæterum *Hotherus* duplici Regno auctus, fallax fortunæ lenocinium expertus eſt, victoria poſt principatum amiſſa, quam privatus adeptus fuerat.

Nam *Balderus* haudquaquam pugnæ ſuperioris eventu territus, iterum opitulante fratre *Thorrone*, *Saxonum* copijs ſtipatus, certamini ſe accingit, hoſtemq; profligatum ad *Gevarum* ſocerum decurrere cogit, unde mox in *Suæciam* profugus tranſiit. Deinde *Frous Niordi* Filius, quem *Saxo* Deorum Satrapam vocat, ſedem haud procul *Upſala* cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus ac ſeculis uſurpatum, triſti infandoq; piaculo mutavit, Siquidem humani generis hoſtias mactare aggreſſus, fœda ſuperis libamenta perſolvit. At *Balderus* claſſe victrici *Sialandiam* petens, cum & armis celeber & Majeſtate conſpicuus haberetur promptiſſimis *Danorum* ſuffragijs regno præficitur: Cui *Hotherus* e *Suecia* regreſſus bellum intulit, ac denuo fuſus fugatuſq; in *Cimbriam* ſe contulit. Nam hoſtes claſſem ejus obſidentes, victo in *Sueciam* reditum impediebant, quam tamen poſt Hyberna peracta ſolitarius incomitatuſq; repetiit. Ibi accerſitis magnatibus, ob infælices rerum curſus, quibus

bus ipſum *Balderus* ac *Thorro* bis victores afflixerant, lucis ac vitæ pigere ſe querulus profitetur. Ergo ad *Sylvarum* latebras confugit, ibiq; ſe continuit, quouſq; proceres aſſidue accedentes ſuadendo ac perſuadendo tandem animum ejus a profunda deſperatione ad arma rurſus capeſſenda reduxerunt. Protinus comitia indicit, milites conſcribit, exercitum comparat, cui *Balderus* incunctanter cum *Saxonibus Daniſq;* occurrit. Diu acerrime ancipitiq; marte pugnatum eſt, donec ſuperveniens nox prælium derimeret; cujus tertio ferme pervigilio *Hotherus* clam omnibus res hoſtium exploraturus egreditur, gladioq; quem (una cum armilla opes poſſeſſoris mira quadam arcanaq; virtute augere ſolita) *Mimingo Sylvarum* (ſi *Saxoni* credimus) *Satyro* extorſerat, obvij ſibi *Balderi* latus hauſit, eumq; ſeminecem proſtravit, Qui tamen a ſuis in caſtra relatus, moriendi certus, poſtera die prælium renovat, ſeq; lectica in aciem deferri jubet, ne intra territorium obſcura morte defungi videretur, triduoq; poſt elapſo, nimio vulneris cruciatu abſumptus, fato ſuccumbit. Hoſti ſuperſtiti ceſſit corona *Danica*, qui nutricij ſui *Gevari* interfectorem *Gunnonem* intercipit perimitq; Filioſq;

Filioſq; occiſi Regis *Herleinm* & *Geritum* Paternæ ditioni præficit. Sed adeſt cum *Ruthenis* Fraternæ cædis ultor *Bous*: Nam *Thorro* ante noviſſimam *Balderi* pugnam obiiſſe videtur. Hic etiam obiter notandum eſt, ſicut plures *Odinos* extitiſſe pridem oſtenſum eſt, ita plures *Thorrones*, itidemq; *Froos* in Deorum numerum relatos, fuiſſe. Nam ante *Thorronem Odini* Filium alius *Thrrro Nori* Regis *Norvegici* Pater ab *Arngrimo Jona* memoratur Et ante *Froum Niordi* Filium, quem ſedem haud procul *Upſala* cepiſſe veteremq; litationis morem mutaſſe, *Hothero* regnante, ſcribit *Saxo*; etiam *Froi* cujuſdam antiquioris cui *Sacra furvis hoſtijs fecit Hadingus Hotheri* Proavus, idem *Saxo* meminit. Alterum præterea *Froum* multo recentiorem, in ſua Regum *Stiogothicorum* hiſtoria, *Ingonis* ſcilicet Filium inter *Nearchum* & *Urbarum* collocat *Joannes* Magnus. Verum *Hotheras* arte Magica, qua a *Gevaro* imbutus apprime inſtitutuſq; fuerat, ſibi bello *Ruthenico* perundum eſſe fertur prævidiſſe. Convocatos igitur *Daniæ Sueciæq;* optimates orat, ut ſi quid ſibi humanitus eveniret, *Rodericum* Filium ſucceſſorem eſſe velint; quibus annuentibus cum hoſte congreſſus victoriam pariter vitamq; amiſit. Et quamquam *Bous* haud diu ſupereſſet

Arn. Jon. *in Repub. Iſland.* *Cap. 4.* Saxo *Lib. 2. Idem Lib. 1.*

Joan. Mag. *Lib. 7.*

id tamen hoc ſucceſſu effectum eſt, ut *Dani Sueciq*; tanta clade fracti, obſtaculo eſſe nequiverint, quo minus *Hemingus* ejus Frater *Norvegiæ* Monarchiam ſibi vindicaret, pulſis *Gevari* Filijs, cæteriſq; regulis; e quibus Collerus ad piraticam converſus, ab *Horvendillo Cimbriæ* præfecto opprimitur. Hæc eo fuſius de *Odino* ejuſq; natis & comitibus, addita ad elucidandam Hiſtoriam, contemporaneorum regum borealium ſucceſſione, diſſerui; quoniam ab ipſo & quibuſdam ipſius Filijs cuncti fere *Anglorum* (ut & aliarum gentium multarum) reges originem traxerint.

Præfuit *Saxonibus* vir animi excelſi cujus nomen annales tacent: quo tempore *Veremundus* in *Dania* regnavit. Floridiorem ætatem ille *Veremundi* ſterilis ſine prole peragens, in ſenectute Filium *Uffonem* ſuſtulit, qui mole corporea coævos quoſq; ſupergreſſus, adeo humanæ delectationis vacuus fuit ut ab omni luſus jociq; conſuetudine alienus, a ridendi, etiam & loquendi officio ſemper abhorreret; hebetis ineptiq; animi, privatis publiciſq; rebus inidoneus, atq; etiam pro muto ac elingui ab omnibus haberetur. Patris infortunijs ſenilibus præter diuturnas cum *Atiſſo Sueciæ* Rege inimicitias acceſſerat etiam cæcitas, qui-

bus

bus ubi gravaminibus ipſum laborare *Saxonum* Rex comperiret, legationem ad eum miſit, poſtulans, ut Regno cui ipſe præ ſenio ac cæcitate, Filius præ hebetudine ac ſtoliditate, adminiſtranda impares eſſent ſibi cederet, aut ſi altius de *Vffone* ſentiret, rem utriuſq; Filijs duello permitteret decernendam, aliter aperto marte agendum eſſe denuncians. *Vffo* ad hæc indignabundus ſilentia rupit, ac reſpondendi licentiam, mirantibus attonitiſq; ſenatoribus, ipſiſq; parentibus, flagitavit, qua a Patre conceſſa, ad legatos converſus, Regi, inquit, veſtro dicite, nec Regi noſtro hæredem, nec Regno deeſſe tutorem, meipſum cum Regis Filio, itidemq; quopiam alio quemcunq; aſciverit, congredi paratum eſſe. Mox dicta factis ſtrenue complevit, amboſq; adverſarios interemit. Hanc *Veremundi* & *Vffonis* Hiſtoriam pluribus commentis auctam, e *Dania* in *Angliam* traduxit quidam fabulator, quam ad *Matthæi Pariſienſis* Hiſtoriæ calcem una cum *Offæ Mercij* vita exhibuit ediditq; *Gulielmus Watſus*, ubi *Vffo* cum exigua admodum nominis immutatione *Offa* nuncupatur, & occidentalium *Anglorum* Rex appellatur. Illum una cum Patre *Veremundo* ſive *Wermundo* eoſdem eſſe cum

Wermundo & *Offa*, qui ab *Odino* quartus quintuſq; in Regum Merciorum Genealogia recenſentur, arbritratur eruditus editor, quod ipſum veri haudquaquam eſt abſimile. *Vigletum* enim quem *Norvegiæ* Regem, occiſiq; a ſe *Amblethi*
Eric. Pont. vitricum, *Ericus* Rex in ſuo *Daniæ* Chronico appellat, *Odini* ex *Hemingo* Filio nepotem fuiſſe, Regnumq; porro *Veremundo*, *Vitelgetæ Hemingi* Fratris Pronepoti cognationis ergo reliquiſſe; ac proinde *Saxoniæ* Regem, cum Patrem Filiumq; ſceptro jam impares cenſeret. ſibi illud conſanguinitatis jure competere exiſtimaſſe omnino eſt probabile. Quod autem fabulator antedictus *Offam* ſuum *Northumbris* adverſus *Scotos* opitulatum eſſe ſcribit; *Northumbriam* pro *Norvegia*, *Scotiamq;* pro *Suecia* poſuiſſe illum crediderim: ita ut *Uffo* Rex *Danicus* amico & cognato *Norvegiæ* Regi contra veterem ac hæreditarium inimicum *Sueciæ* Regem ſuppetias tuliſſe intelligendus ſit. Quanquam in hoc quoq; ab Hiſtoriis *Danicis* diſcedat, quod proſtratos pugiles, non *Saxones*, ſed ipſi *Veremundo* ſubditos, & rebelles ac perduelles faciat. Sed de hiſce rebus judicium penes eruditos eſto.

Alter

Alter deinde *Gelderus Saxonum* Rex a *Joanne* Magno memoratur, ſub quo illi claſſem armis viriſq; ut ille narrat, inſtructiſſimam, per totum ſinum *Gothicum*, ſive *Codanum* circumferebant. Nec ſolum *Cimbros* & *Danos*, ſed *Pomeranos*, *Vandalos*, *Rugianos*, *Curetes*, *Eſtones*, vaſtatis eorum terris, gravi injuria affecerunt. Veruntamen cum ſe in terras *Oſtrogothorum* effudiſſent bellumq; acerrimum contra *Tordonem Sueciæ* Regem commiſiſſent, victi tandem ab eo, fugatiq; ad navium præſidia redierunt, tantumq; vires eorum eo bello confractæ fuerunt, ut ſe ad proprias terras, auxiliares copias contracturi recipere cogerentur. Sed nec ob ea damna a piratico exercitio abſtinendum putabant. Siquidem geminato navium numero, eiſq; præſidio longe validiore impoſito, denuo bellum in *Gothos* movent quibus *Tordo* nihilo ſegnius quam prius obviam progreditur, fitq; bellum acerrimis utrinque animis, donec *Martis* alea *Gothorum* partibus adjecta, cogeret *Saxones* ſalutem a velocitate fugæ mutuare, atq; in ſuam claſſem lacerato victoq; exercitu remeare. Hactenus *Joannes* Magnus. *Hugleto Daniæ* Regi, quem *Hugulinum* idem *Joannes* Magnus vocat; ſucceſſit Joan. Mag. Lib. 4.

Frotho Vegetus qui Regem *Norvegiæ Frogerthum Odino & Hemingo* oriundum *Monomachia* ſuperavit, Illi ſucceſſit, regnante in *Suecia Tordone*, *Danus* tertius, cujus, utpote duodecimum annum agentis, immaturam ætatem deſpicatui habens Rex *Saxonum*, ei bellum indixit, victuſq; tributo pacem redimit, ac paulo poſt (ut *Crantzius* (*Anſonarici* geſta percurrens) innuit) a *Belgis* occiditur. Idem vero *Crantzius* poſt recitatam *Dani* victoriam, ita pergit; Hoc mihi loco interfandum putavi, ne quis miretur ſolas eas *Saxonum* res ſermone perſtringi quæ illis fuere cum *Danis*, nihil vero ex mediterraneis attingi. Sed & illud movebit forte lectorem, in cunctis quas memoravimus controverſiis, *Danos* ſemper *Saxonum* victores oſtendi; quod contra poſterioribus ſeculis uſu compertum eſt. Utriuſq; autem rei una cauſa eſt, quod ex antiquitatibus tantæ vetuſtatis nullus nobis præter unum *Saxonem Sialandicum Daniæ* illuſtratorem, author eſt, & ideo rerum mediterranearum, quas ille non attigit (quæ tamen non minores, etiam illuſtriores putari poſſint,) nulla nobis memoria eſt. Nec in ea parte habent cæteræ nationes, quod illis invideamus, aut quod de noſtræ antiquitatis oblivione

Crantz. in Saxo: Lib. 1. Cap. 24.

Id. Lib. 1. Cap. 7.

oblivione poſſunt obtendere: nam pauci mille annorum memoriam vix explicant: ineptias enim plures præferunt, quæ ſomniis ſimillimæ ſunt. Jam vero quis mirabitur ſcriptorem *Danicum* *Danicis* rebus multum tribuere, quod & *Romani* ſuis & *Græcis* *Græculi* fecerunt. Quod ſi eadem præditus dicendi facultate, *Saxonicas* res, vir genere *Saxo* commemoraſſet, aliam rerum formam narrando prætenderet. Studet enim quiſq; nationi ſuæ illuſtrandæ. Hæc quidem de *Danicis* triumphis præclare, *Crantzius*, cui & nos promptiſſime ſuffragamur: eoq; propendemus ut *Henricum*, *Sifridum*, *Siricium*, *Hundingum* alioſq; nonnullos quos *Saxo* primus memorat, larvatos principes, & ab ipſo, ut *Danis* ſuis triumphandi materiam ſuppeditaret, confictos fuiſſe cum *Petro Albino* ſentiamus. Porro ſi tot tantaſq; victorias undiq; reportaſſent, *Saxoneſq;* toties proculcaſſent, ac tam potentes fæliceſq; *Danici* ſemper reges extitiſſent; unde factum eſt ut vicinos *Saxonibus* Cimbros (olim ab *Helgone* domitos,) in officio continere atq; coercere nequiverint, quo minus jugum excuterent, aſſertaq; libertate eo magnitudinis ac potentiæ excreſcerent, ut ſua defenſare neutiquam contenti, per uni-

verſam fere *Europam* armis detonarent, & *Auguſtiſſimæ Romanorum* Reipublicæ fuſis conſularibus quinq; exercitibus diriſſimas ſtrages ingererent, extremum iis ut ipſorum authores fatentur, ni *Marius* illi ſeculo contigiſſet, exitium allaturi.

Circa annum ante natum Chriſtum
80. octogeſimum, *Artharicus Veldegio* Filio *Odini* oriundus, qui etiam *Artharius* & nonnullis perperam *Arathius* dicitur, regnante in *Dania Dano* tertio, qui Patrem ejus *Gelderum* vicerat, apud *Saxonas* regnaſſe perhibetur, qui cum ſtrenuus eſſet bellator, *Borobiſtam Gothorum* Re-
Trithemius. gem in *Saxones* irrumpentem, *Hammeri Turingi* & *Caſſandri Sicambri* auxiliis fretus ſuperavit. Huic ſucceſſit Filius *Anſonaricus* circa annum ante natum Chri-
60. ſtum ſexageſimum, qui ſancito magno illo cum *Sicambris*, *Turingis* aliiſq; gentibus *Germanicis* fœdere, *Belgas* ut Patris aviq; cædes ab iis peractas vindicaret, cum *Franco Sicambro* adoritur, *Leonem*
Crantz. Saxo *Lib.* 1. *Cap.* 24. principem occurrentem & prælio victum occidit, ejuſq; Fratrem *Godefridum* bella renovantem fundit fugatq;, *Valentianas* capit, omnemq; regionem inter *Rhenum* & *Scaldim* ſub tributo conſtituit. Ipſe
Funccius. etiam *Gothos* in *Germaniam* irrumpentes

a ſo-

a ſociis adjutus, vicit, & ex ditionibus ſuis quas occupatas decennio fere tenuerant expulit. *Romani* vero qui *Gothos* contra *Saxones* exciverant, etiam *Sicambros* laedendi *Gallis* authores erant, quos ſocii reges magna clade affecerunt. Deinde *Marcus Lollius Germanos* fœderatos aggreſſus, primo victor, mox ab iiſdem *Clodione Sicambro Franci* Filio duce profligatur: quo in bello *Melonis Sicambri* virtus emicuit qui aquilam quintæ legionis *Romanis* ademit. Apud *Suevos* hoc tempore regnavit eadem *Odini* ſtirpe editus ille Rex, qui *Indos* naufragos, ut *Cornelius* Nepos ſcribit, *Metello Celeri Galliam* regenti tranſmiſit. Hic ſe nonnulli torquent, ſolicite quærentes quo pacto *Indi* per Mare *Sepetentrionale* commercia cum *Germanis* exercerent. Sed non opus eſt tanto *ſcrutamine*, cum, ut omnes populos boreales, *Scythas*, *Græcis*, ac *Romanis*, dictos; *Auſtrales*, *Æthiopes*, occiduos, *Celtas*; ita *Eoos*, *Indos* appellatos, eſſe conſtat. Adeoq; ſub *Indorum* nomine *Baltici* maris accolæ maxime orientales, *Æſtii* forſan, ſive *Ingrii* aut *Rutheni* iſtic intelligendi fuerint. Poſt illum regem anonymum memoratur *Arioniſtus*, qui conflatum ex *Suevis*, *Saxonibus*, *Marcomannis* & *Chamdibus Saxonum* vicinis exerci-

Strabo Geog. *Lib.* 7.

Plin. *Lib.* 2

exercitum, tranſmiſſo *Rheno* in *Galliam* duxit: ibiq; res magnas geſſit, unde fama ejus *Romæ* percrebeſcente, Rex & amicus a Senatu appellari meruit. Tandem a *Cæſare* victum, paulo poſtea ſive acceptorum in illa pugna vulnerum cruciatu, ſive animi mærore confectum obiiſſe docent illa *Fiturii Sabini* verba, *magno eſſe* Germanis *dolori* Arioniſti *mortem*. Succeſſiſſe videntur *Naſua* & *Cimberius* Fratres, qui eo vivente, *Suevos* ad *Rhenum* ripam perduxerant; & quidem viros bellicoſos fuiſſe eos hinc liquet, quod *Ubios* ſibi vectigales fecerint; & *Uſipetes*, *Tenctheroſq;* ſedibus expulerint, ipſumq; *Cæſarem Sicambros* vaſtantem ocius e *Germania* recedere, pontemq; quem *Rheno* ſuperſtraverat, protinus ne *Suevi* abeuntem aſſequerentur, reſcindere bis adegerit. Poſt hos celebratur a Scriptoribus *Romanis Maroboduus*, qui *Saxonum* regi *Vilchino Anſonarici* Filio & ſucceſſori contemporaneus fuit.

Cæſar. de Bel. Gal. Lib. 5.

Id. Lib. 1.

Anno poſt Chriſt. 8.

Suevi una cum *Saxonibus* ex *Aſia Cimmerios* in *Europam* proficiſcentes comitati ſunt, *Iſtrio*; fluvii oſtium ſubierunt. Inde *Cimmeriorum* maxima & bellicoſiſſima multitudo in *Germaniam* tranſiit, pars verò eorum exigua profugorum ſcilicet ac ſeditioſorum caterva ad *Mæotidem Lacum*

Plutarch. in Mario.

Lacum declinantes, a *Scythis* compulſi in *Aſiam* duce *Lygdamio* remigrarunt. *Suevi* autem & *Saxones* relictis *Cimmeriis* in *Sarmatiam Europæam* ſeſe effuderunt unde ut ex inſigni *Scephi*, antea memorati, caſu, & conſtanti *Saxonum* antiquorum traditione comperimus, per Mare *Balticum* in *Germaniam* trajecerunt. Ibi *Saxones Nordalbingiam*, *Suevi* regionem conterminam uſq; ad *Suevum* fluvium ab ipſis nuncupatum ſibi vindicarunt, uni eidemq; regi aliquandiu ſubjecti. Hinc per interiora *Germaniæ* late ſeſe ſparſerunt, & in plures nationes diſcreti ſunt juxta *Tacitum* *Suevi*, quarum tres præcipuas recenſet *Ptolomæus*, *Semnones*, *Longobardos*, & *Angilos* ſive *Anglos*. Ex his, in bello inter *Marobodnum* & *Arminium* *Cheruſcum*, *Semnones* & *Longobardi*, a rege proprio ad hoſtem deſciviſſe memorantur, *Angli* non item. Utriuſq; principis illuſtria geſta qui legere cupiunt, *Velleium Paterculum*, & *Cornelium Tacitum* alioſq; *Romanorum* Hiſtoricos, conſulant: nos exitum eorum hic exhibere ſatagemus. *Arminio Saxones* contra *Romanos* opem tuliſſe perhibentur: ipſe tandem propinquorum, in quorum numero habendus eſt *Chattorum* princeps *Adgandeſtrius*, dolo periit. *Marobodui* poſitam

Tacit. *in* Germ.

Idem Annal. *Lib.* 2.

Funccius.

Tacit. Ann *Lib.* 2.

ſitam inter *Marcomannos* (illi etiam ſubditos) regiam irrumpens *Catualda* nobilis inter *Gothones* Juvenis, eum in *Italiam* profugere coegit, ubi *Ravennæ* ab imperatore *Tiberio* habitus, ſi quando inſoleſcerent *Suevi*, quaſi rediturus in regnum oſtentabatur, ibiq; privatam per annos duodeviginti vitam exegit. Pulſus quoq; *Catualda* a *Jubilio Hermunduro* & a *Tiberio* receptus, forum *Julium* mittitur. *Suevi* illi qui utrumq; comitati ſunt, ne quietas provincias immixti turbarent, ultra *Danubium* inter flumina *Marum* & *Cuſum* locantur: dato rege *Vannio* de gente *Quadorum*: permiſſos etiam ei fuiſſe *Suevos* illos verisimile eſt, quos cum *Sicambris ſe dedentes*, Auguſtus *in* Galliam *traduxerat* atq; in proximis *Rheno* agris collocaverat. Ad iſtam *Sicambrorum* Deditionem & Traductionem referenda eſt illa famoſa *Claudii Siluribus* interminantis vox a *Tacito* memorata, ut quondam *Sicambri* exciſi & in *Gallias* trajecti forent, ita *Silurum* nomen penitus extinguendum. Cæterum quem ſibi Regem *Suevi*, qui in proprio ſolo ſubſiterunt fugato *Marobodno* ſufficerint, haud invenimus.

Sueton. in Aug. Aurel Victor.

Tacit. Ann. Lib. 12.

Dum *Saxones Vilebinus* adminiſtrat in *Dania* regnat *Frotho* Tertius, crebras undi-

undiquaq; victorias circumferens, quem profligati occisiq; a se potentissimi *Hunnorum* Regis *Hunni* Fratri cognomini *Hunno Saxoniam* tribuisse scribit *Grammaticus*. Eiq; certe *Saxoniam Ericus* Rex & *Jonas Coldingensis* serviisse tradunt. Quæ omnia istud nobis subinnuere videntur: recuperatam sub hæc tempora a *Danis* fuisse *Cimbriam*, magnamq; *Gutarum* sive *Jutarum* partem *Hunno* duce in *Chersonesum* transmisisse, *Cimbrosq;* cum *Charudibus* debellatos & ampla territorij parte mulctatos ad *Danici* Regis obsequium reduxisse: nihilo proficiente nupero *Cimbrorum* cum imperatore *Augusto* fædere; nec posthac quicquam de populi devicti gestis uspiam memoratur: Mansit quidem in extrema *Chersonesi* portiuncula nudum nomen usq; ad *Ptolemæi* ætatem; quanquam haud ita multo postea ipsa *Cimbrorum Cimbriæq;* nomina in *Jutas* & *Jutiam* sive *Jutlandiam* evanuere. *Jutæ* deinde in plures tribus distributi sunt, scilicet *Sigulones*, *Sabalingios*, *Cobandos*, *Chalos* & *Fundusios*, ulteriusq; progressi *Tacito*, si recte conjecerit *Pontanus*, sub *Huithonum* appellatione innotuerunt. Hic obiter animadverterimus, *Cimbriam* (diu ante *Saxoni* proleptice *Jutiam* dictam) priscosq; *Cimbros* sæpius a *Danicis* authoribus

Saxo Lib. 5

ribus cum antiqua *Saxonia*, & *Saxonibus* in rerum geſtarum deſcriptionibus confundi, ut in prædicta *Helgonis Dani* victoria ac lege probroſa & alibi. *Vilchino* 30. circa annum Chriſti triceſimum mortuo Filii *Suertingus* & *Haneſus* ſucceſſerunt qui jugum *Danicum* excutere auſi ſunt, contractiſq; undecunq; auxiliis, magno prælio, hoſtibus non imparatis concurrerunt, cumq; ſe mutuo continenter bellando ſatis fatigaſſent, tandem *Saxones*, Saxo. *Lib.* optime ut inquit *Saxo* duello agendum 6. rati, mittunt qui *Danorum* Regem *Frobonem* quartum, ex provocatione laceſſerent. Cunctante illo, ſeq; cum amicis ſuper dando reſponſo collocuturum dicente ſubintulit fortiſſimus pugil *Starcatherus*, regibus non niſi in compares arma congruere, eademq; adverſus populares capienda non eſſe, per ſe vero ſortis inferioris pugnam rectius adminiſtrandam exiſtere. Igitur *Saxones Hamam*, qui apud eos gymnicis palmis clariſſimus habebatur ad campum conflictui deſtinatum, ingenti militaris pompæ tripudio proſequuntur. *Dani* vero *Starcatherum Storverchi* Filium Regis ſui partes executurum ad certaminis locum, militiæ inſignibus ornati perducunt. Ibi *Hama* hoſtem ita pugno obruiſſe memoratur, ut

genibus

genibus nixus humum mento contingeret, quam corporis nutationem aeri quidem ille ultione penſavit; nam ubi reſuſcitato poplite manum expedire ferrumq; diſtringere licuit, medium *Hamæ* corpus diſſecuit. Iſte *Starcatherus* tertiam ætatem hominum vixiſſe perhibetur, (ejus olim dentem in *Pinacotheca* ſua ſervaſſe, ac talium cupidis monſtrare ſolitum virum nobilem *Henricum Emeldorpium*, duodecim pollicum craſſitudine, referre aliquando memini, inquit *Iſacius Pontanus*, magnificum dominum *Arnoldum Vitfeldium* regni *Daniæ* quondam Cancellarium.) Ceſſerunt itaque *Saxones*, in quos adeo *Danorum* inſolevit imperium, ut pro cubitalium Membrorum quolibet, indicem ſervitutis ſtipem quotannis pendere cogerentur. Quod ægerrime ferentem *Hanefum* atq; arma corripientem *Frotho* per omnem *Saxoniam* inſecutus, trajectis per *Albim* copiis apud urbem *Hanoveram* prælio extinxit. At *Suertingus* Patriæ Fratriſq; vindictam animo meditans, victorem redeuntem, amicitia ſimulata, convivio excipit, quem ubi incendio conſumere ſtatuiſſet, ab eodem ita occupatus eſt, ut inter medias flammas depugnantes mutuis vulneribus ambo concíderent. Adeoq; Milites

Pont. Hiſt. Dan. Lib. 1

lites *Danici* Rege destituti maturo sibi discessu consuluerunt, & tributum cessavit. *Suertingo* succesſerunt duo Filii, Junior scilicet *Suertingus*, & alter Frater anonymus, qui Filium *Frothonis Ingellum Germanæ* sororis nuptiis sibi conciliarunt: jamq; vigente per utrumq; regnum pace, ad sororis curiam frequentius commeare atq; illic diutile commorari, rerum suarum tranquillitati studentes consuevérunt, donec accedens illo post diuturnam absentiam *Starcatherus* id apud *Ingellum* suasu atq; increpatione effecit, ut leviros suos nil tale suspicantes temeratis hospitii mensæq; sacris cum quinq; ipsorum magnatibus crudeliter obtruncaret. Horum tempore, scilicet anno septuagesimo quarto magnam illam *Saxonum* cum *Ratherio Francorum* Rege, ac *Turingis*, aliisq; *Germanis* renovatam esse confœderationem ex antiquioribus annotavit *Funccius*.

Per idem tempus *Vannius*, ut *Tacitus* scribit, cujus hic narrationem atteximus, *Suevis* a *Druſo Cæſare Tiberii* Imperatoris Filio impositus, pellitur regno, prima imperii ætate clarus acceptusq; popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis insidiis circumventus. Auctores fuere

Tacit Annal. *Lib.* 12

fuere *Jubilius Hermundurorum* rex & *Vangio* ac *Sido* ſorore *Vannii* geniti nec *Claudius* Imperator, quamquam ſæpe oratus arma certantibus *Germanis* interpoſuit, tutum *Vannio* perfugium promittens ſi pelleretur. Scripſitque *Publio Atellio Hiſtro* qui *Pannoniæ* præſidebat, legionem, ipſaque e provincia lecta auxilia, pro ripa componeret, ſubſidio victis & terrori adverſus victores, ne fortuna elati *Romanam* quoque pacem turbarent. Nam vis innumera, *Lygii* aliæque gentes adventabant, fama ditis regni, quod *Vannius* triginta per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites, eques e *Sarmatis Jazygibus* erat, impar multitudini hoſtium; eoque caſtellis ſe defenſare, bellumq; ducere ſtatuerat. Sed *Jazyges* obſidionis impatientes & proximos per agros vagi, neceſſitudinem pugnæ attulere, quia *Lygius Hermunduruſq;* Illic ingruebant. Igitur digreſſus caſtellis *Vannius*, funditur prælio quamquam rebus adverſis laudatus, quod & pugnam manu capeſſiit & corpore adverſo vulnera excepit. Cæterum ad claſſem in *Danubio* opperientem perfugit. Secuti mox clientes & acceptis agris, in *Pannonia* locati ſunt. Regnum *Vangio* ac *Sido* inter ſe partivere,

egregia adverſus *Romanos* fide; ſubjectis, ſuone an ſervitii ingenio, dum adipiſcerentur multa charitate, & majore odio poſtquam adepti ſunt. *Vangioni* ſucceſſit *Italicus* qui cum *Sidone*, *Veſpaſiani* partibus auxilium contra *Vitellium* tulit.

Idem. Hiſt. Lib. 3.

Proximus in regum *Saxonicorum* Catalogo a *Petro Albino* recenſetur *Sigarus*, ſive *Sighardus*, quem & *Suertingi* Junioris Filium facit, addito ei Fratre *Wilke* ſive *Vilchino*, quem *Willium* & *Julium* nonnulli vocant. Quamquam inter *Suertingum* Juniorem & *Sigarum* multo longius temporis interceſſiſſe ſpatium Hiſtoria *Danica* evincit, quæ ipſum (quod & *Albinus* facit) nuptiis potitum tradit *Geruthæ* ſive *Gurithæ Alphi* Filiæ, *Sigari* Neptis, *Sivaldi* Proneptis, *Unguini* Abneptis: cui ſcilicet *Unguino Daniæ* regnum teſtamento legatum fuit ab *Haldano Haraldi* Filio, *Olavi* Nepote, *Ingelli* qui *Suertingum* Juniorem occidit Pronepote. Igitur *Vilchinum* ſecundum, ſive *Wilke* quem hoc tempore floruiſſe, & ex eadem cum *Sigaro* familia extitiſſe pro conceſſo eſt, quemq; *Albinus* aliiq; nonnulli conjectura ſolummodo ducti, Fratrem ei tribunt, potius ejuſdem *Sigari* Avum, eodemq; *Suertingo* fuiſſe genitum, eiq; ſucceſſiſſe

Saxo Lib. 7. Pet. Albin. de Regn. Saxor. 50.

ac

ac *Vitichindum* genuiſſe, eadem conjectandi licentia crediderim. *Vilchino* circa annum ſecundum ſupra centeſimum defuncto Filius ſucceſſit *Vitichindus*, qui *Ricimeri Francorum*, *Ermenfredi Thuringorum* regum & reliquorum *Germanorum* auxiliis adjutus, viginti hoſtium *Gothicorum* millia ad *Viſtulam* fluvium deleviſſe fertur. Deinde victores in *Marchiam* quæ nunc *Brandenburgenſis* appellatur colonias contra Orientalium impetus deduxerunt. Illi ſucceſſit Filius *Vilchinus* tertius, cujus geſta authores reticent. Hujus (non prioris *Vilchini*) Fratrem fuiſſe *Sigarum* prædictum *Gurithæ* ſponſum qui in ipſa nuptiarum ſolennitate ab *Haldano Borcari* Filio oppreſſus interiit, probabilior temporis ratio ſuadet. Enimvero, *Vilchini* tertii tempore *Suevi* & *Marcomanni* (qui ſæpe uni eidemq; regi paruerunt) Imperatorem *Romanum Antoninum* Philoſophum ferociter laceſſebant. Ad cujus belli uſum inſtrumenta regia, facta in foro *Trajani* auctione, vaſa aurea, pocula Chryſtallina, murrhina, Uxoriam ac ſuam ſericam, ac auream veſtem, gemmaſq; etiam quas multas in repoſito ſanctiore *Adriani* repererat, atq; etiam ſigna cum tabulis magnorum artificum diver-

102. Funceius.

150. Jul. Capitol. *in* Antonin. Philos. & Eutrop. *Lib.* 8.

dere, ac per duos continuos menſes hanc venditionem celebrare *Cæſar* neceſſum habuit: ſervos quoq; & latrones ac gladiatores & diocmitas armavit, ac *Germanorum* auxilia contra *Germanos* emit: & tamen vix tandem hoſtes vicit, idq; non ſine miraculo. Tantumq; fuiſſe hoc bellum, ſcribit *Capitolinus*, quantum nulla unquam memoria fuit, adeo ut ei intereſſe *Lucius Verus* Imperii conſors omnino pertimeſceret. Poſt ingens iſtud prælium nihil a *Suevis* geſtum, uſq; ad *Anglorum* ad *Saxones* ſeceſſionem legiſſe memini. Claruit hoc tempore celeberrimus ille Rex *Britannicus Lucius* Coeli Filius qui regum primus fidem Chriſtianam publicitus eſt amplexatus. Ad hunc *Eleutherius* Papa literas illas adeo decantatas miſit, quas in *Elencho* noſtro exhibuimus, quæq; inter leges *Edovardi* Confeſſoris tum in Ἀρχαιονομία *Gulielmi Lambardi*, *Londini* annis Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, & milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto edita habentur: tum in veterum Legum exemplari quod circa *Edovardi* primi tempora deſcriptum olim in prætorio *Londinenſi*, nunc in Bibliotheca *Cottoniana* aſſervatur; atq; etiam in vetuſto libro Regum Manuſcripto qui *Breton* & *Brutus* nomi-

nominatur, qnas etiam ex variis antiquis exemplaribus tranſtulit *Gulielmus Harriſonus*. *Vilchinum* Filius *Marbodus* (ſive *Marobodnus* aut *Merobaudes* excepit circa annum ducenteſimum, cujus Filius *Lutherus* cum *Arthario Bartheri Francorum* regis Filio *Rhenum* ſuperans, *Galliam* & *Hiſpaniam*, *Valeriano* & *Galieno* imperantibus afflixit, qua in expeditione, preter alia facinora, *Tarraconenſem* Urbem vetuſtam atq; nobilem *Saxones* & *Franci* ſolo æquarunt, breviq; poſtea fato ſuccubuiſſe videtur *Lutherus*. Hæc *Germanorum* tranſitio non aliena eſt a *Zoſimæis* ſcriptionibus. Et *Galieni* tempore *Germanos* ulteriores abroſa potitos eſſe *Hiſpania*, ſcribit *Oroſius*; & *Victor Andreæ Schotti*, *Germanos* illos *Francos* vocat, abſq; ulla *Saxonum* mentione, qui duce eorum præcoci morte ſublato, ſeſe ſtatim *Arthario* ſubmiſſiſſe, & pro *Francis* haberi videantur. Atq; hi ſunt illi *Germani* quos ex *Gallæcia Hiſpaniæ Conſtantinum* Maximum expuliſſe, regis *Alphonſi Chronica* produnt. Auctam *Danorum* ſubactis *Cimbris* potentiam ægre tulerant, ac de *Jutiæ* poſſeſſione diu contra Victores inauſpicato dimicaverant *Saxones*. At *Bodo Lutheri* Frater *Marbodum* patrem circa annum ducente- 200. Trithem.

360. ſimum ſexageſimum excipiens, *Suevos Anglos* in commilitium aſcivit, quorum ope (dum apud *Danos Sivardus* & *Buthlus Omundi* Filii, reges infauſti, rerum potiuntur) adjunctis quoq; ſibi *Sclavis*, auſtralem *Jutiam* occupavit, eamq; *Anglis* auxiliaribus incolendam tradidit, qui *Saxonibus* annumerati deinceps, atq; accenſiti ſunt. Mox aquilonares *Jutas*, ad quos pulſi ſedibus Auſtrales profugerant, adortus ſubjugavit qui regni exinde *Saxonici* partem conſtituerunt uſq; ad *Anglorum Saxonumq;* in *Britanniam* migrationem. Hinc nihil ſibi ſuiſq; a contuſis *Danis* ultra metuens *Romanas* etiam provincias, piratico cum *Francis* procinctu, *Dioclesiano* Imperante auſus eſt lacessere, ac Mare per tractum *Belgicæ* & *Armoricæ* infestare. Atq; iſto primum tempore *Romanis* arma oſtendiſſe *Saxones* apud Scriptores *Romanos* leguntur. Et quidem ad *Bodonis* Tempora, *Anglorum* in *Auſtralem Jutiam* immigrationem retulimus; propterea quod *Adriani* & *Antonini Pii* temporibus, qui cum *Vitichindo* & *Vilchino* tertio vixerunt, *Anglos* Provinciam *Luneburgenſem* incoluiſſe docent, qui tum floruerunt *Corn. Tacitus* & *Claudius Ptolemæus*. Et poſthac etiam *Danis* paruiſſe *Jutiam* utramq;, ab *Hetha* animi virilis

Eutrop. & Oros.

virilis fœmina ſub *Olone* Rege qui fuit *Marbodo* contemporaneus adminiſtratam, quæ Urbem inclytam olim, (ab ipſa) *Hethiby*, nunc autem *Sleſvicum* nuncupatam in Auſtrali *Jutia* condidit, aut potius inſtauravit, *Danici* authores ſcribunt. Cæterum regnante *Sivardo* ereptam *Danis* fuiſſe utramq; *Jutiam* *Saxo* aliiq; rerum *Danicarum* ſcriptores produnt, qui integram rei bene geſtæ laudem, *Saxonibus* paſſim iniquiores, *Sclavis* deferunt. *Sclavorum Vulgus* iuquit *Grammaticus Sialandicus*, *pugnam ſine principe auſum acie ſuperavit* Sivardus, *verum hisdem quos ductu vacuos debellaverat, paulo poſt ducem nactis, pugnæ apud* Fioniam *ceſſit, adverſum quos identidem in* Jutia *prælia-tus, infœlicem pugnæ eventum habuit, quo evenit ut* Jutia *exutus, occupata quoq; a* Suecis Scania, *media duntaxat regni veluti quaſdam exeſi corporis partes ſine capite retineret.* Ducem illum geminato triumpho inſignem, haud alium extitiſſe, quam *Bodonem*, qui propter claritatem ac rerum geſtarum magnitudinem etiam *Odinus* appellatus eſt, tanquam alter gentis *Saxonicæ* conditor, ejuſq; inſtinctu concitatos irrupiſſe *Sclavos*, eodemq; mox una cum *Anglis* ſubſequente profligatum fuiſſe *Sivardum* plane veriſimilli-

Saxo. *Lib.* 8.

mum eſt. Nec *Jarmericus Sivardi* Filius quantumlibet alias victorioſus, acerrimuſq; *Sclæverum* domitor, tamen ab uxoris ſuæ *Suavildæ* Fratribus impetitus, novos potuit exturbare advenas. Etenim *Anglos* exinde relictis ſedibus veteribus, in *Sleſvicenſi* ducatu ſubſtitiſſe, atq; a *Romanis* jam remotiores egiſſe, hinc eſt colligere, quod in horrendis illis gentium *Germanicarum* in *Romanas* provincias undequaq; ingruentium motibus qui ab hoc tempore cunctis fere Hiſtoricis *Romanis* abunde memorantur, nulla prorſus apud ullum ſcriptorem *Romanum* uſquam occurrit illotum mentio vel leviſſima, ante expeditionem *Britannicam*. Quod autem *Gaſſarus*, *Sivardi* regimen diu poſt *Bodonis* tempora collocat circa annum ſcilicet quadringenteſimum triceſimum ſecundum, in hoc, erroris manifeſtus eſt, cum *Suertingi* & *Frothonis* quarti, *Suertingi* Junioris & *Ingelli*, *Sigari* & *Haldani* tertii, *Agelmundi Longobardi*, & *Snionis Dani* contrarium evincunt *Synchroniſmi*. *Bodoni* circa annum trecenteſimum ſucceſſit Filius *Vetta* (aliis *Vetham* & *Vetharus* dictus,) cujus tempore horrendam adverſus Chriſtianos perſecutionem moverunt Imperatores *Romani*, in qua immaniter ſæviſſe fertur

300.

fertur *Dacianus*: ſub quo nomine tam *Galerium*, a Patria ipſius *Dacia* ità nuncupatum; quam ipſum *Diocleſianum* eſſe intelligendum opinamur, quem ubi cum nota contractionis *Docianum* ſcripſiſſent priſci authores; exinde *Daciani* nomen, *Galerio* tributum, ipſi quoq; affinxiſſe videantur legendarii, atq; hinc fit, quod appoſito utriq; eodem nomine, *Dacianus* iſte aliquando ſummus Imperator, aliquando præſes (id eſt, vicarius imperii adminiſtrator) appelletur. Quod autem in *Elencho* noſtro, ſancti *Georgii* Martyrium enarrans, *Galerium Maximianum* priſtino ante imperium nomine *Dazam* dictum, atq; inde *Romam* lima & incude concinnius *Daciani* nomen effictum eſſe autumaverim: errorem illum, dum *Aurelium* Victorem de *Galerio Maximino* non de *Galerio Maximiano* ipſius avunculo loquentem, præpropere nimis ac feſtinantius percurrerem, hauſiſſe me ingenue fateor. Atq; hæc pro illiuſce erroris excuſatione iſtic inſerere haud incommodum duxi: Sed ut redeam unde digreſſus ſum: ſub Rege *Vecta*, *Saxones* cum *Francis* & *Alemannis* quadraginta ſitas ad *Rhenum* Urbes, *Conſtantio* magni *Conſtantini* Filio Imperante, cepiſſe, prorſus eaſdem devaſtaſſe, cives

&

Zoſim. *Lib.* 3. & incolas infinito numero, cum innumerabili ſpoliorum copia ſecum abduxiſſe, tradit *Zoſimus*. Idem *Saxones* animi magnitudine, corporis, viribus, & laborum in prælijs tolerantia *Germanorum* fortiſſimos extitiſſe, ac *Salios* gentem *Francicam* priſcis ſedibus expulſos in *Bataviam* inſulam fugaſſe narrat, unde rurſus a *Quadis* ejecti & a *Juliano Cæſare* reſtituti ſunt. *Quados* ille *Saxonum* partem facit, quos ipſe prius in *Myſia Pannoniaq;* juxta *Sauromatas* collocaverat. Et quidem pro *Chamavis* hic apud *Zoſimum* irrepſiſſe *Quados*, ex *Eunapio Sardiano*, (cujus Hiſtoriam ille videtur tranſcripſiſſe) & ipſius *Juliani* ad Senatum populumq; *Athenienſem* Epiſtola liquet. *Chamavi* vero *Saxonibus* vicini erant, quibus ſeſe adjungentes eorum pars exiſtimari atq; haberi poterant. Poſt *Vectam* circa annum trecenteſimum quinquageſimum regnare cæpit ejus Filius *Vita*, cujus tempore *Saxones*, imperante *Valentiniano* Seniore una *cum* Pictis, Scotis & Attacottis Britannos *omnis vexavere continuis: cum* Francis *vero finitimis tractus* Gallicanos *quo quiſq; erumpere potuit, terra vel mari prædis acerbis, incendijſq; & captivorum funeribus hominum violabant.* Quos *Theodoſii* ducis virtute *Cæſar* repreſſit, tumq; *ma-*

Am. Marcel. *Lib.* 26, & 27.

duerunt

duerunt Saxone *fuso* Orcades, quas nuper insederant. Deinde cum *Alemannis*, *Brandone* duce, *Magontiacum* ceperunt; & quoniam casu illic Christiani ritus invenerunt celebrari solennitatem, impræpedite cujusque modi fortunæ virilem & muliebrem sexum cum supellectile non parva indefensum abduxerunt. (Hic *Brando Brandenburgum* in *Germania* condidisse fertur, idemq; esse videtur, qui *Beldego Odini* Filio oriundus *Fredegarii* ac *Biorni* Pater, regumq; *Saxonum Occidentalium* & *Northumbrorum* progenitor fuisse memoratur.) Eosdem ad metuendam rabiem conversos, semper quolibet inexplorato ruentes (quam ob causam præ cæteris hostibus *Saxones* timentur, ut repentini, inquit *Ammianus*,) delatosq; tunc ad maritimos tractus quorum spoliis pæne redierant onusti, malefido quidem sed utili commento *Valentinianus* tertio consul peremit, præda raptoribus vi fractis excussa. Id hoc modo peractum est: Erupit tunc temporis *Saxonum* multitudo, & oceani difficultatibus permeatis *Romanorum* limitem gradu petebat intento, sæpe eorum funeribus pasta; Cujus eruptionis primam procellam *Nannienus* sustinuit, Comes regionibus iisdem appositus, diuturno bello-

Claud. *de* 4 Hon. Cons. Ammian. Marcel. *Lib.* 28, 30.

rum

rum labore compertus. Sed tunc ad mortem deſtinatæ plebi congreſſus, quum milites quoſdam ruiſſe & ſe vulneratum imparem fore certaminibus adverteret crebris, docto imperatore quid agi deberet, id eſt adeptus ut peditum magiſter *Severus* opitulatum rebus dubiis adveniret. Qui ducens militem rei ſufficientem, quum veniſſet ad loca, diſcriminatis ordinibus hoſtes ante colluctationem, ita terruit & turbavit, ut nec controverſas opponerent manus, ſed ſignorum aquilarumq; fulgore præſtricti venialem poſcerent pacem. Diuq; variatis conſiliis quum id Reipublicæ conducere videretur, pactis induciis, & datis ex conditione propoſita juvenibus multis habilibus ad militiam, diſcedere permiſſi ſunt *Saxones* ſine impedimento unde venerant reverſuri. Quibus omni jam formidine vacuis, reditumq; parantibus, occulte pedites miſſi inſidias in abdita quadam valle ſtruxerunt, unde præterreuntes aggredi negotio poterant levi: Sed longe ſecus accidit quam ſperabatur. Sonitu enim adventantium perciti exiluere quidam intempeſtive: viſiq; ſubito, dum ſe firmare feſtinant, ululantibus lugubre *Saxonibus*, vertuntur in pedes. Stetere tamen mox conglobati, extremaq;

ſorte

ſorte vires licet non integras ſuggerente confligere cogebantur : multaq; cæde perculſi concidiſſent, nullo relicto, ni Cataphractorum equitum cuneus ad inferendum periculum tranſeuntibus ex alio latere prope divortium itineris pari modo locatus, clamore percitus triſti, agiliter ſubveniſſet. Exin concurſum infeſtius, firmatiſq; pectoribus hinc inde incumbentes *Romani* clauſos hoſtes eductis gladiis obtruncabant : nec quiſquam eorum genitales reviſere potuit lares : ne uno quidem cædibus concorporalium ſupereſſe permiſſo. Ex hac *Ammiani* narratione, *Saxones Romanis* vere, ut *Oroſius* loquitur, terribiles fuiſſe, atq; aperto Marte ſuperiores, perculſo *Nannieno* duce non ignobili evaſiſſe liquet ; ſed adveniente *Severo*, territos & ſignorum aquilarumq; fulgore præſtrictos venialem popoſciſſe pacem Scriptor *Romanus* tradit ; præda ſatiatos forſan pacem obtuliſſe dixiſſet Scriptor *Germanicus* ; quæ etiam pax abſq; ulla prædæ reſtituendæ mentione *Reipublicæ Romanæ* conducere viſa; tanta deinde cum perfidia violata eſt, ut *Romanos* ſuos potius quam *Germanos* vocaſſe barbaros poſſet *Ammianus* ; ac tandem *Saxones* aſtu ita circumventos multaq; ſub pacis ſpecie juventute ſpoliatos,

Oroſ. Lib. 7.

liatos, haud tamen ſine acerrimo cruentiſſimoq; conflictu fuiſſe cæſos idem agnoſcit, addita etiam hac levicula cenſura, *Ac licet juſtus quidem arbiter rerum incuſabit perfidum & deforme, penſato tamen negotio, non feret indigne maxum latronum exitialem tandem copia data captam:* quaſi ipſi *Romani* dum alienis regnis inhiarent non latrones extitiſſent omnium maximi. At *Saxones* hac injuria irritati cum *Burgundionibus Valentiniano* ob violata in bello *Alemannico* pacta conventa infenſis, periculoſam magna male eruptionem meditantes, ad *Rhœni* ripam progreſſi, ibiq; caſtramentati ſunt. Erant ex utraq; gente circiter octoginta armatorum millia. Adverſus quos imperator quarto Conſul procinctum movit ac *Saxones Deuſione* in *Francorum* finibus oppreſſit, at quo minus *Burgundiones* aggrederetur, Quadorum motibus prohibitus eſt, quos ubi ad petendam pacem adegiſſet, *Brigitione* mortem oppetiit. Jam enim *Francos* ſibi conciliaverat ac fœderibus obſtrinxerat *Cæſar*, quorum belliçoſus rex *Mellobaudes*, eodem quo *Valentinianus* anno obiit, *Macrianum Alemannorum* regem, acerrimum antehac Imperatoris hoſtem; ſed præcedente anno, colloquio pacatum,

Oroſ. Lib. 7 Caſſiod. Chron. Jornand. Lib. 1.

Ammia. Lib. 30.

Franciam

Franciam avidius perrumpentem, atroeiuſq; vaſtantem, inſidiis circumventum extinxit. Unde miniſtrata nugivendulis eſt fabulandi occaſio, populum illum ob devictos *Alanos* (quos cum *Alemannis* male confundunt) *Vectigalium* (neſcio quorum) immunitatem, & *Francorum* (id eſt liberorum) nomen a *Valentiniano* conſecutus eſſe. Poſt *Fraomarium Bucinobantum* regem quem anno trecenteſimo ſeptuageſimo tertio in *Britanniam* 373. tranſtulerat *Valentinianus*, eandem ſub imperatore *Gratiano Inſulam* rexit *Maximus*, qui *Conanum Meriadocum* ſibi repugnantem profligavit; cumq; ut *Gregorius Turonenſis* loquitur, *per* Tyrannidem *oppreſſis* Britannis *ſumpſiſſet Victoriam*, *a militibus Imperator creatus eſt* annoq; trecenteſimo octogeſimo ſecundo, *in* Britannia *a militibus jam*, ut Proſper ſcribit, *Imperator conſtitutus incurſantes* Pictos & Scotos *ſtrenue ſuperavit*. Etſi enim primo ſuæ præfecturæ, ultimoq; *Hurguſti Pictorum* regis anno, qui erat Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus quintus inter ipſos fœdus, contra *Scotos Conano* faventes ſancitum, & a *Thalargo Hurguſti* ſucceſſore confirmatum fuerat, permulti tamen e *Pictis* illud fœdus averſati, ſe, *Melga* duce *Scotis* & *Conano Britanno* adjunxerant. 375. Greg. Turon. *Lib.* 1. *Cap.* 38. (al. 43.) Tito. Proſp. & Sigeb. 382.

Qui

Qui cum provinciales aſſiduis eruptionibus vexarent, primum ab ipſo Maximo, ut ante dictum eſt fuſi & fugati; Deinde circa annum trecenteſimum octogeſimum
387. ſeptimum a *Gratiano* municipe ſub abſentis Maximi auſpiciis funditus victi, atq; *Albione* expulſi ſunt *Scoti*, atq, illa quæ *Melgam* ſequebatur pars *Pictorum* (*Conano* diu antea a Maximo in gratiam recepto, eumq; tranſmare in *Galliam* ſecuto.) At Maximum anno ſequente *Theodoſius Gothorum*, *Hunnorum*, *Alanorum*, *Francorum*, *Saxonumq;* auxiliis ſtipatus oppreſſit. Quæ victoria adeo magna & memorabilis viſa eſt, ut teſtante *Procopio*, *Romani* deinceps illum
388. Procop. diem quotannis feſtum agitarint.

Scotorum regem *Eugenium* in prælio contra Maximum cecidiſſe, ipſorum Hiſtorici tradunt, poſt cujus cædem complures ex illa gente *Graimo* (ſive *Granio* aut *Guanio*) duce *Scythiam Germanicam* ſive *Scandiam* fuga petierunt, ad quos etiam *Melga* cum ſuis ſe recepit, (cæteris *Pictis* cum rege *Thalargo* ſub *Romanorum* jugum paulo poſtea redactis.) Unde a *Gratiani Auguſti* ducibus evocati acerba ac gravia Maximi fautoribus damna ingeſſerunt. *Urſulam Deonoti* regis *Britannici* Filiam aliaſq; virgines plurimas ad ineunda

ad ineunda cum *Conano* & *Britannis* in *Brittia* inſula *Batavica* collocatis connubia deſtinatas, at claſſe vi tempeſtatis disjecta ad hoſtilia littora appulſas ceperunt, atq; Coloniam ductas crudeliter interemerunt. Cujus flagitii participes fuerunt *Hunni* illi, qui a *Bautone Valentiniani duce cum* Alanis *adverſus Maximum acciti*, et, poſt pacem, *Ambroſii* opera compoſitam, *cum* Galliæ *appropinquarent*, *per* Alemanniæ *terras reflexi*, ſeſe *Graimo* adjunxerant, qui inde forſan a nonnullis perperam *Hunnorum* Rex vocatur. Miſerandam hanc virginum ſtragem in annum trecenteſimum octogeſimum tertium conjicit *Uſſerius* Reverendiſſimus. Poſt hæc cum *Nannienum* & *Quintinus* collatis apud Carbonariam ſignis *Francos* viciſſent; *Conanus* cum haud exigua *Britannorum* parte, qui ſtrenuam in eo prælio operam navarant, *Armoricæ* parte donati ſunt; ubi inter congentiles ſuos, qui antea A *Conſtantio Chloro* & *Conſtantino* magno eo traducti fuerant, conſederunt. Nam Maximus, ut *Nennius* ſcribit, noluit dimittere milites qui cum eo perrexerunt a *Britannia* neq; ad Uxores ſuas neq; ad Filios, neq; ad poſſeſſiones eorum, ſed dedit illis multas regiones a ſtagno quod eſt ſuper verticem montis *Jovis* uſq; ad civitatem quæ

Ambroſ. *Epiſt.* 27. Sigon. *de* Occid imper. *Lib.* 9.

Uſſer. Primor.

Nennius.

vocatur *Cantguic* : ipſi ſunt ad cumulum occidentalem, id eſt, *Cruc Occhidient*. *Britones* namq; *Armorici*, qui ultra mare ſunt, cum Maximo *Tyranno* hinc in expeditionem exeuntes, quoniam redire nequiverant, occidentales partes *Galliæ* ſolo tenus vaſtaverunt, nec mingentes ad parietem vivere reliquerunt : acceptiſq; eorum uxoribus & filiabus in conjugium, omnes earum linguas amputaverunt, ne eorum ſucceſſio maternam linguam diſceret unde & nos illos vocamus in noſtra Lingua *Lhet Vydion*, i. e. *Semitacentes*, quoniam confuſe loquuntur. Hi ſunt *Britones Armorici* & nunquam reverſi ſunt ad proprium ſolum uſq; in hodiernum diem. Hactenus *Nennius*. At prætermittens hanc *Conani* e *Brittia* migrationem *Galfridus*, illum in *Armorica* primitus conſediſſe; & virgines illo vela facientes, in hoſtes antedictos incidiſſe opinatur; quamvis cuipiam, *Brittiæ* atq; *Armoricæ* ſitus attentius expendenti facile liquebit, claſſem illam fœmineam e *Cornubia* ſolventem & ad *Germanica* littora appulſam, non *Armoricam Cornubiæ* vicinam ſed *Brittiam* remotiorem (quam Maximus, ad *Rheni* oſtia, juxta *Zoſimum*, tranſmittens, *Britannis* ſuis primum dederat) petiſſe: cum & ipſe *Galfridus*, *Britannis*

poſt

poſt victos *Francos*, (quod non ſtatim poſt Maximi Trajectionem, ſed diu poſt *Gratiani Auguſti*, qui *Graimum* & *Melgam* arceſſivit interitum, anno ſcilicet trecenteſimo octogeſimo octavo, quo etiam ipſe Maximus periit, factum eſſe, *Gregorius Turonenſis* & *Carolus Sigonius* docent) conceſſam fuiſſe *Armoricam* fateatur. Cæſa hac imbelli caterva, *Graimus* & *Melga* in *Albaniam* Trajecerunt, unde ut ante dictum eſt a *Gratiano* municipe, quem Maximus a *Britannis* imploratus ad comprimendos *Scotorum* cum iis inſurgentium motus cum duabus legionibus remiſerat, in *Hyberniam* abacti ſunt, univerſa etiam *Scotorum* gente *Britannicis* finibus eliminata, atq; ad *Hyberniam Scandiamq;* profugiente. Nihilominus reverſi una cum ſeptem *Rethmaidi* Filiis *Graimus* & *Melga*, extrema *Albaniæ* littora inſederunt, atq; inde navibus piraticis *Britannos* inſulanos & *Armoricanos* jugiter infeſtarunt. Circa annum quadrageſimum obiit *Vita* Rex *Saxonum* cui ſucceſſit Filius *Vitigiſilus*. Hujus tempore *Britanniam* manu piratica *Saxones* ſub ejus regni initium, copiis terreſtribus *Picti* afflixere, ſed utroſq; miſſus a *Stiliconе Victorinus* repreſſit, unde gratias agentem Imperatori *Honorio Romam* introducit *Claudianus* Poeta. 400. Claud. in Eutrop. Eunuch.

—— *domito quod* Saxone Tethys
Mitior & fracto ſecura Britannia Picto.

Cumq; *Rhadagaſius Honorio* bellum inferret ac ducenta armatorum ex variis gentibus contractorum millia in *Italiam* duceret, cum illo etiam fuiſſe *Saxones*, teſtatur *Prudentius*, auxiliares populos
405. enumerans, qui ſic ab eo recenſentur.

Prudent. *cont.* Sym. *Lib.* 2. —— *Daca, Sarmata, Vandalus, Hunnus, Getulus, Garamas, Alemannus, Saxo, Galaulas.*

406. Sigon. *de* Occid. *imp. Lib.* 10 Quæ licet ipſis infæliciter ceſſit expeditio, mox tamen *Godigiſilo, Vandalorum* regi *Germaniam* cum *Alanis, Quadis, Marcomannis, Herulis, Turcilingis, Suevis, Alemannis* & *Burgundionibus* peragranti adhæſerunt, atq; una cum illo ad *Rhenum* proceſſerunt *Francoſq;* tranſitum impedire conatos profligarunt. Inde *Galliam* atrociter vaſtarunt, & milites *Britannicos* adeo terruerunt, ut parum ſibi præſidii in *Honorio* eſſe reputantes Marcum quendam per tumultum deligerent imperatorem: quo protinus occiſo, *Gratianum* municipem adhuc in Iuſula degentem & *Scotica* victoria celebrem ad idem evehun-

hunt fastigium, post cujus quadrimestre regimen *Constantinum* purpura induunt, qui ingentem *Britannorum* multitudinem exercitui suo ascriptam in *Galliam* transmisit. Atq; ita cum Tyranni, inquit *Malmburiensis* (*Maximum* & istum *Constantinum* indicans) nullum in agris præter semi-barbaros, nullum in urbibus præter ventri deditos reliquissent: *Britannia* omni patrocinio militaris vigoris viduata, omni artium exercitio exinanita, conterminarum gentium inhiationi diu obnoxia fuit. Igitur *Picti Scotiq;* anno quadringentesimo vicesimo secundo 422.
Britannos adoriuntur, & a *Romanis* ab *Honorio* transmissis repelluntur; annoq; quadringentesimo vicesimo quinto re- 425.
gressi sub *Graimi* ductu murum cespititium(ab eodem *Graimo Graimesdike* appellatum)demoliuntur,sed a*Romanis* duce *Gallione* redeuntibus fugantur, alioq; in loco murus lapideus extruitur. At *Saxonibus* difficile fuit quiescere, ideoq; *Valentiniano* tertio imperante irruptionem in *Galliam* repetierunt, sub annum ut Irr. Alb.
creditur, quadringentesimum vicesimum 427.
septimum, quo etiam *Francos* contra *Turingos* & *Saxones* Bella gessisse *Enzelius* annotavit.

431. Anno quadringenteſimo triceſimo primo, qui fuit *Theodoſii* Junioris poſt *Honorii Patrui* exceſſum octavus, reverſi ex *Hybernia*, unde ſæpius antea *Britanniam* afflixerant, *Graimus* & *Melga* cum *Scotis*, confluentibus etiam ex *Scandia* cæteris congentilibus, a *Durſto Pictorum* Rege ſuſcepti ſunt, redditis quoq; regionibus quas dono a *Romanis* imperante Maximo Rex *Thalargus* acceperat. Cum illo totam aquilonalem extremamq; *Britanniæ* partem *pro indigenis muro tenus capeſſunt*, eundemq; perrumpentes tertiam illam a *Gilda* commemoratam vaſtationem ordiuntur, quam ſic Hiſtoria *Britannica* deſcribit: Ut valedicto *Romani* non ultra reverſuri abſceſſerunt, emergunt iterum prædicti *Guanius* & *Melga* ex navibus quibus in *Hyberniam* vecti fuerant cum cæteris cuneis *Scotorum* & *Pictorum*, & cum *Norvegenſibus Daciſq;* & cæteris quos conduxerant, & omnem *Albaniam* muro tenus capeſſunt. Cognita etiam *Romanorum* reverſione & reditus denegatione, confidentiores ſolito deſtructioni inſulæ imminent. Ad hoc in edito murorum ſtatuuntur ruſtici, ſegnes ad pugnam, habiles ad fugam, trementibus præcordiis inepti; qui diebus & noctibus ſtupido ſedili marcebunt. Interea non ceſſant inuncata hoſtium tela quibus miſerrimum

Beda *de Temp. ratione.*

Galfrid. *Lib. 2. cap. 5.*

rimum vulgus de muris trahebatur & ſolo allidebatur. Hoc ſcilicet eis proficiebat immaturæ mortis ſupplicium, qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumq; ſuorum miſerandas inminenteſq; pœnas cito exitu evitarent. Satis hinc, opinor, liquet *Calſridi Guanium* eſſe *Scotorum Graimum*. Progreſſis ultra *Pictis* obvii facti *Saxones* ſe adjunxerunt, unaq; cum iis a *Germano Altiſiodorenſi* profligantur. *Graimi* Filia, *Fergusio* nupſit, eiq; poſt Patris obitum dotale regnum attuliſſe videtur. Quanquam authores *Scotici* poſt illius mortem regnante Filio ejus *Eugenio* geſta hæc a *Graimo* fuiſſe tradunt, contra *Hybernicorum* omnium ſcriptorum fidem; qui ex Sancti *Patricij* actis, *Fergusium* ipſum necdum in *Albaniam* trajeciſſe unanimi conſenſu evincunt. Fervebat iſtud per annos complures *Germano* diſcedente bellum, quo demum ſuccumbentes *Britanni*, auxilium anno quadringenteſimo quadrageſimo ſexto ab *Aetio* ter conſule ſuppliciter implorarunt; quod ubi minime impetrare poſſent, *Vortigernum* omnium regulorum potentiſſimum eodem anno monarcham creant. Qui cum *Saxonibus*, *Pictis*, *Scotiſq;* ſimul junctis, imparem ſe eſſe perpenderet, placandos ſibi oblatis in inſula ſedibus, atq; in auxilium adverſus cæteros 446.

regni hoſtes convocato publico conſilio *Saxones*, ut vel ſic reliquorum minuerentur vires, decrevit aſciſcendos. Illi igitur
449. anno quadringenteſimo quadrageſimo nono, qui fuit *Vortigerni* quartus, duce *Hengiſto Vitigiſili* regis Filio in Orientali *Britanniæ* parte, ſcilicet in *Thanato* inſula,
Gild. *Epiſt.* jubente, ut *Gildas* loquitur, ſuperbo & infauſto Tyranno *Vortigerno* terribiles infixere Ungues, quaſi pro patria pugnaturi, ſed eam certius impugnaturi. Ut enim in
Uſſer Primord. *Cap.* 12. Orientali *Britanniæ* plaga *Cantium*, ita in orientali *Cantii* parte *Thanaton* ſitam eſſe recte obſervavit *Uſſerius*. Sive autem circa hæc tempora ex *Sleſvicenſi* ducatu, ſive antea e *Luneburgenſi*, aut *Anglaria* coloniam in *Brittiam Batavicam Angli* emiſerint, haud auſim pronunciare. Quæ de *Hengiſti* parentela ac rebus geſtis *Suffridus Petrus* fabulatur, haud digna ſunt, quæ refellantur, ne dum recenſeantur.

Hengiſto in *Britanniam* migranti ſucceſſit in *Saxonia* ejus (ſi *Petro Albino* aſſentiamur) Filius *Andovachrius* lingua vernacula a ſuis *Hadwacker* & *Odacker* dictus: quo regnante *Saxones Romanis*
451. Jorn. *de rebus Getic. Cap* 36 in prælio *Catalaunico* cum *Britannis Armoricanis*, auxiliares teſte *Jornande* contra *Attilam* adfuerunt. Quos inde comitati, regionem circa *Baiocaſſes* ſibi vindicarunt, ut

ut ex *Gregorio Turonenſi* colligere eſt, qui *Saxonum Baiocaſſinorum* diſerte meminit. Quanta cum ferocia per *Gallicana* littora ſub hæc tempora graſſatæ ſunt eorum claſſes piraticæ, ad vivum depinxit in ſua ad *Namantium* Epiſtola qui tum vixit *Sidonius Apollinaris*. *Audovachrius* prædictus trajecto *Albi* fluvio multas antiquæ *Saxonum* ditioni provincias adjecit, & cum *Childerico Franco* conflixit. Huic Filius ſucceſſit *Hattugatus* qui ſtrenuam *Theoderico Franco* adverſus *Ermenfridum*, *Turingum* operam navavit. Quo tempore *Saxones* primum in *Germaniam* veniſſe *Scioli* quidam tenebriones contra probatiſſimorum Hiſtoricorum fidem atq; authoritatem ſomniarunt. Succeſſit illi juxta *Enxelium* Filius *Bertobaldus*, qui in eodem bello *Turingico* ſub patre militans præclare ſe geſſerat & *Schidingham* obtenuerat. Quod enim pro *Bertobaldo Childericum Albinus Hattugato* Filium tribuit, id in veteribus ſtemmatum *Saxonicorum* unde cætera deprompſit conſignationibus ſe uſpiam reperiſſe haudquaquam aſſerit, ſed ex Hiſtoria *Britannica* excerptum in ſuam tranſtulit. Nec alius eſt iſte *Childericus*, quam *Galfridi Monumethenſis Cheldricus*, qui *Anglo-Saxonicorum* ſcriptorum *Cerdicus* eſt, non *Hattugati*, ſed *Eliſii* Filius, primuſq;

Sidon. Apol. *Lib.* 8.

Pet. Alb.

Galf. *Lib.* 7

primuſq; occidentalium in *Britannia Saxonum* rex. *Bertobaldum* excepit Filius *Bodicus*, cujus tempore *Saxonum* & *Anglorum* pars primo ſub *Theodeberti Franci*, deinde ſub *Alboini Longobardi* auſpiciis in *Italiam* penetrarunt, ubi *Angli Angleriam* condiderunt. Cum *Francis* quoq; eos tum bella geſſiſſe teſtantur *Gregorius Turonenſis*, *Marcellinus*, *Sigebertus*, *Trithemius* & alii. Circa hæc etiam tempora Fælix Epiſcopus *Nannetenſis Saxonibus* Evangelium primus annuntiavit, e quibus multos ad fidem perduxit, ut hiſce verſibus docet *Venantius Fortunatus*.

Venant. Fort. Lib. 3.

Mitibus alloquijs agreſtia corda colendo
Munere Felicis de grege nata ſeges,
Aſpera gens Saxo *vivens quaſi more ferino*
Te medicante ſacram bellua reddit ovem,

Bodico ſucceſſit Filius *Bertobaldus* ſecundus ſive *Bertoldus* qui contra *Clotharium* ejuſq; Filium *Dagobertum Francorum* reges fortiſſime dimicavit: ac nobiliſſimum illum *Sigarum* ſive *Sighardum* genuit, qui *Julandam* ſive *Heilandam* alterius *Saxonum* regis, ſcilicet *Goſuini* ex familia *Ballenſtadienſi* Filiam duxit. Jam enim *Saxonum* Monarchia in πολυκοιρανίαν ſive Polyarchiam ſeu dodecarchiam tranſierat:

quan-

quanquam hæc de qua agimus familia a *Sigaro Angriam* obtinente *Angriana* vel *Engerana* dicta, primas ſibi ſemper optimo jure vendicaret. Ab hoc *Sigaro Diterici* ſive *Theoderici* Patre, *Vernechini* Avo *Vitichindi* Magni Proavo, complures imperatores, reges principeſq; illuſtriſſimi originem traxiſſe dignoſcuntur.

Interea *Anglo-Saxones* orta cum *Britannis* diſſenſione *eos juncto cum hoſtibus fœdere uſq; occiduas*, ut *Giraldus Cambrenſis* (in ſcripto quod *Innocentio* tertio ab ipſo porrectum, ejuſdem de *Menevenſi* Eccleſia dialogo, diſtinctione ſecunda inſertum legitur) tradit, *inſulæ partes propulerunt, totamq; terram reſiduam quam* & Angliam *vocaverunt*, *nec non* & Scotiæ *partem non modicam, deſtructis Eccleſiis, ritu gentilitatis cum gentiles eſſent fœdaverunt.* Scilicet eam ita ab *Anglis* qui ex tribus populis advenis erant numeroſiſſimi appellarunt. Illi enim, ut *Cambdeni* verbis utar, *Northumbriam* & *Merciam* ampliſſimas regiones cum orientali *Anglia* occuparunt, quum *Jutarum* progenies ſolummodo *Cantium* & *Vectam* inſulam *Hantoniæq;* portiunculam, & *Saxones Saxoniam* Orientalem, Auſtralem & Occidentalem tenuerint: exiguam ſane portionem ſi ad amplas illas *Anglorum* regiones

Uſſer. Primord. *Cap.* 6.

regiones conferatur. Iſtam à *Giraldo* memoratam *Britannorum* depreſſionem, *Angliæq;* nominis impoſitionem ad annum quingenteſimum & octogeſimum ſextum refert *Matthæus Veſtmonaſterienſis*, quo tempore *Saxonibus* occidentalibus præfuit, contuſiſq; aliquoties *Britannis*, potentiſſimus *Anglorum* Rex emicuit *Celinus*. Nam ille inter *Heptarchas*, qui reliquis potentior fuit *Anglorum* Rex vocabatur, Cum eo una idem memorat *Ciſſam* Auſtralium *Saxonum*, *Ercenvinum* Orientalium *Saxonum*, *Athelbertum Cantianorum*, *Titillum* Orientalium *Anglorum*· *Cridam Merciorum* & *Allam Deirorum* reges, atq; *Adelfridum* vicarium *Berniciorum* ſub *Athalarico* Patre regimen adminiſtrantem; Et *placuit dictis regibus, inquit ille*, Britanniam *& memoriam* Britannorum *penitus delere, unde communiter ſtatuerunt quatenus inſula non a* Bruto Britannia, *ſed ab* Anglis Anglia vocaretur. Ex illo tempore, *Angliæ* nomen regno manſit ac per univerſum terrarum orbem magis magiſq; inclaruit. Quod autem nonnulli e Recentioribus *Angliam* lingua vernacula *England* ab *Hengiſto* quaſi *Engiſtland* appellatam volunt, ij nullo certe antiquorum authorum teſtimonio nituntur. Neq; enim veri ſimile

Mat. Veſtmon. 586.

eſt,

eſt, eum, qui tantillam *Anglicani* regni partem obtineret, tam amplæ celebriq; regioni nomen poſuiſſe. Alii contra, *Ranulphum Ceſtrenſem* ſecuti, ab *Egberto* regnum hoc *Angliam* primo nuncupatum ſcribunt; Cum tamen *Inæ* regis tempore, cujus Frater *Ingiſilus Egberti* Proavus extitit, receptam uſitatamq; fuiſſe *Angliæ* nomenclationem, oſtendit iſtud diſtichon in ſuprema *Glaſtonienſis Petri* & *Pauli* Eccleſiæ ab illo principe conſtructæ præcinctione inſcriptum, atq; in prima ut videtur ejuſdem fundatione exaratum.

Camd. *in* Belg. & Uſſer. Primord. *Cap.* 6.

Anglia *plaude libens, mittit tibi* Roma *ſalutem,*
Fulgor Apoſtolicus Glaſtoniam *irradiat.*

Interea tamen ab *Egberto* rege circa annum octingenteſimum viceſimum ſeptimum, ubi mira felicitate cætera *Anglo-Saxonum* regna in ditionem accepiſſet, confirmatum fuiſſe ac ſtabilitum *Angliæ* nomen haud diffitemur. Hactenus per devios antiquitatis caliginoſæ anfractus difficillime prorepſimus: quibus in rebus ſi qua aliis minus arriſerint, ſciant velim, nos, quæ ex priſcis authoribus ſedulo multoq; cum labore collegimus, fideliter exhibuiſſe: & prodeſſe volentes & delectare,

827.

lectare, nec proprio moroſe animo duntaxat ac cenſuræ velificantes: quæve politioribus judiciis ſcitu digniora forſan quam nobiſmet videantur, ingrato ſilentio prætérire ac quaſi ſepelire ſuſtinentes: nihil omnino tamen cujuſpiam aſſenſui, dogmatico cum dictamine obtrudentes.

Tu, lector, ſi quid noviſti rectius iſtis
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum

Saxonum

Saxonum & Suevorum reges ante eorum adventum in *Britanniam*.

Streſæus.
Bedvigus.
Gualas.
Hadras.
Ittermonius
Heremodius
Scephus.
Scaldius.
Beovinus,
Tetuas.
Geta. Aſgardiam ad *Gothos* profectus

In *Aſgardia.*

Godulphus
Getæ Filius.
Finnus.
Fridulphus
Frelaphius.
Fridoaldus
Odinus— *Fridoaldi* Filius in *Germaniam* rediit.

In *Germania.*

Henricus.
Sifridus

In *Germania.* *Veldegius*— cum Fratribus una cum *Siricio.* ejuſq; Filiis *Hundingo* & *Geldero.*

Reges *Saxonum.* Reges *Suevorum.*

Reges Saxonum.

Anonymus tempore *Veremundi Dani*. Idem forsan cum Monachi *Albanensis Rigano*.

Gelderus 2us cujus nomen *Saxonem Gram.* & *Pet. Albinum* latuit, sed a *Joanne* Magno memoratur. Cum *Dano* Tertio, & *Tordone Sueco* pugnavit.

Artharicus.

Vilchinus 1us.

Suertingus 1us cum Fratre *Hanefo*.

Suertingus 2dus.

Vilchinus Secundus.

Vitichindus Priscus.

Vilchinus 3ius cum Fratre *Sigara*.

Marbodus.

Bodo.

Vecta.

Vita.

Vitigisilus.

Hengistus.

Reges Suevorum.

Anonymus tempore *Metelli Celeris*.

Arioniſtus.

Naſua & *Cimberius*.

Marobodnus.

Vaninus.

Vangio cum *Sidone*.

Italicus cum eodem *Sidone*.

FINIS.

INDEX.

A.

Asgardia, Asæi, Asiotæ, Aſpurgiani. Pag. 3, 5.
Aſmundus Sueciæ *Rex.* 5, 8.
Atiſſus Sueciæ *Rex.* 22, 24.
Atiſſus *alter etiam* Sueciæ *Rex.* 28.
Amblethus *a* Vigleto *occiſus.* 30.
Artharicus, *ſive* Artharicus Saxo. 34.
Artharius *alter*, Francus. 47.
Anſonaricus Saxonum *Rex.* 34, 35.
Adgandeſtrius Cattorum *Princeps.* 37.
Ateliius Hiſter Pannoniæ *præſes.* 43.
Arioniſtus Suevorum *Rex.* 35.
Arminius Cheruſcus, 37.
Audovachrius Saxonm *Rex.* 66.
Angliæ *nomen quando huic regno impoſituum.* 70, 71.
Alla Deirorum *Rex.* 70.
Athalaricus *et* Adelfricus *Reges* Bernicio-

rum

ciorum. Ibid.
Athelbertus Cantianorum *Rex*. Ibid.

B.

BEduigus Saxo. 1.
Beovinus Scaldii *Filius*. 2.
Boghius *ſive* Boccerus Cimbrorum *Judex*. 3.
Bous Odini *Filius* Ruſſiæ *præficitur*. 11, 13.
Idem Hotherum *occidit*. 27.
Begdegus *ſeu* Beldegus Odini *Filius*. 14, 20.
Balderus Odini *Filius*. 23, 25.
Borobiſta Gothorum *Rex ab* Artharico *victus*. 34.
Bartherus Francorum *Rex*. 47.
Bodo *Jutiam ſubigit*. 48, 49, 50.
Bertobaldus *ſive* Bertoldus Saxonum *Rex*. 67, 68.
Bauto Valentiniani *imp. Dux* Hunnos *accivit*. 59.
Bodicus *Rex* Saxonum. 68.
Brando Moguntiam *capit*. 53.
Buthlus Daniæ *Rex*. 48.

C.

CUſo Finmarchiæ & Biarmiæ *Rex*. 21, 23
Collerus *regulus* Norvegicus. 28.
Cimbri *ab* Helgone *domiti*. 21.
Iidem Romanos *vincunt*. 34.
Caſſander Sicambrorum *Rex*. Ibid.
Cimberius Suevorum *Princeps*. 36.
Catualda *nobilis inter* Gothones *juvenis*. 38.
Clodio Sicambrorum *Rex*. 35.
Claudii *&iluribus interminantis vox de* Sicambris. 38.

Cerdicu

Cerdicus, Cheldricus, Childericus. 67.
Conanus *Nobilis* Britannus, 57, 60.
Chamavi Salios *pellunt*, 52.
Ciſſa Auſtralium Saxonum *Rex*, 70.
Crida *Rex* Merciorum, Ibid.
Celinus *Occidentalium* Saxonum *Rex*, Ibid.

D.

DAnus *Rex primus* Danorum, 3.
Diarii & Drotnarii, 9.
Danus *tertius bellum cum* Geldero Saxone *gerit*, 32, 34.
Druſus Tiberii *Imp. Filius* Suevis Vannium *præficit*, 38.
Diocletianus, Docianus, Dacianus, Daza. 57.
Deonotus *Rex* Urſulæ *Pater*, 58.
Durſtus Pictorum *Rex*, 64.

E.

ERmenfridus *Rex* Turingorum, 45.
Ermenfridus *alter itidem Rex* Turingorum, 67.
Ercenvinus *Orientalium* Saxonum *Rex*, 70.
Egbertus Anglorum *Monarcha nomen* Angliæ *confirmavit & ſtabilivit*, 71.
Elcutherii *Papæ ad* Lucium *regem literæ ubi habentur*, 46.

F.

FInnus, Fridulphus, Frelaphius, Fridoaldus Saxonum *Reges*, 4.
Frigga Odini *Uxor*, 6.
Ferniotus Nori *Avus*, 4.
Frotho Daniæ *Rex*, 8, 32, 38, 40.
Frous Niordi *Filius*, 12.
Frous *alter*, 27.

Freia Froi *Filia*, 13
Freius *vel* Freierus *Nobilis* Aſæus, 15
Fridlevus Scioldi *Filius*, 14
Fimbulus Aſæorum *ſcriba & propheta*, 17
Frogerthus *Rex* Norvegiæ, 32
Francus Sicambrorum *Rex*. 34
Felix *Epiſcopus* Nannetenſis Saxonibus *prædicavit*, 68

G.

GUalas Saxonum *Rex*, 1
Gera, Gutto *vel* Guitto *pro nomine habitus*, 3
dulphus Saxo, 4
amus Danorum *Rex*, Ibid.
Gorus Nori *Frater*, 14
Geiterus Gori *Filius*. Ibid.
Gilvo Geiteri *filius*. Ibid.
Geſiona *Saga*. 15
Gevarus Norvegiæ *Rex*, 21
A Gunnone *occiſus*, 26
Geritus Gevari *Filius*, 27
Guritha Sueciæ *Regina*, 22
Guritha *altera* Sigari *ſponſa*, 54
Gelderus Saxo *ab* Hothero *victus*, 23
Gelderus *alter contra* Tordonem Sueciæ, & Danum *Tertium* Daniæ, *reges pugnat*, 31 34.
Guanius *ſive* Graimus *ſanctam* Urſulam *contrucidat*, 59
Rex Hunnorum *appellatus*, Ibid.
Murum perrumpit, *et* Britannos *vaſtat*, 64
Godefridus Belgarum *Princeps*, 34
Gotharus Norvegiæ *Rex*, 18
Goſuinus Ballenſtadienſis Saxonum *Rex*. 18

Godigisilus Vandalus *a* Saxonibus *adjutus*, 62

H

HAdras Gualæ *Filius*, 1
Heremodius Saxo, 2.
Heithibi *oppidum*, Ibid. & 49
Henricus Saxo *a* Gramo *interfectus*, 4
Hadingus Daniæ Rex, Ibid. & 8
Haldanus Daniæ Rex, 21
Hundingus Sueciæ Rex, 8
Hundingus *alter* Saxonum *Princeps*, 21, 23
Heinerus *Nobilis* Asæus, 12
Hemingus Odini *Filius* Rex, 14, 28
Hotobrodus Sueciæ Rex, 22
Helgo Halogiæ Rex, 23
Helgo *alter* Daniæ Rex Hundingum Q. Hotobrodum *trucidavit*, 21, 22
Hotheri *gesta*, 22
Hiartuarus *sive* Hiartmannus Rolphonem *levirum occidit*, 24.
Horvendillus Cimbriæ *præfectus*, 28
Hugletus *sive* Hugulinus Daniæ Rex, 31
Hammerus Turingus, 34
Hanefus Suertingi *Frater*, 40, 41
Hama *pugil* Saxonicus, Ibid.
Hattugatus Saxonum Rex. 67
Hengistus Anglosaxones *in* Britanniam *ducit*. 66
Hurgustus Pictorum Rex, 57
Hetha *animi Virilis fœmina*, 49

I.

ITtermonius Saxo, 2
Jutho *idem cum* Geta, 45
Ingo Odini *Filius*. 31

Indi *naufragi* Metello Celeri *a Suevorum rege transmissi*, 35
Jutæ Cimbriam *occupant*, 39
In plures tribus dispertiti, Ibid.
Italicus *Rex Suevorum*, 44
Ingellus Danie *Rex*, 42
Jubilius Hermundurus *Catualdam* pelli:, 38
Et Vannium *Suevum*, 43
Julanda *sive* Heilanda *Sigari Saxonis Uxor*, 68
Inas Occidentalium Saxonum *Rex*. 71
Ingisilus Inæ *Frater regis* Egberti *Proavus*, Ibid.

L.

LOllius *a* Germanis *Victus*, 35
Leo Belgarum *Princeps*, 34
Lygdamius *Dux* Cimmeriorum, 37
Lutherus Saxo Marbodi *Filius*, 47

M.

MIthodinus *præstigiator*, 6, 11, 18
Mimerus *consiliarius sagacissimus*, 12
Mimingus *Satyrus*, 26
Melonis Sicambri *Virtus*, 35
Maroboduus Suevorum *Rex*, 37
Marcomanni Romanis *bellum inferunt*, 45
Macrianus Alemannorum *Rex*, 56
Mellobaudes *Rex* Francorum, Ibid,
Marbodus Saxonum *Rex*, 47

N.

NOrus *Rex* Norvegiæ, 4
Niordus Scytha *Nobilis*, 12
Nasua

Naſua Suevorum *Princeps*, 36
Nannienus Saxonibus *fruſtra ſe opponit*, 53
Francos *Vincit*, 59

O.

ODini *geſta*, 4, *&c.*
Ejus Filii, 20
Odini *quatuor*, 18
Odenſæa *in* Fionia, 14
Ollerus *præſtigiator*, 10
Idem cum Mithodino, 11
Offa *ſenior apud Monachum Sancti* Albani *non* Anglus *ſed* Danus *& idem cum* Uffone, 29, 30
Offa *alter Merciorum Rex*, 29
Orcades *a* Pictis *inſeſſæ*, 53
Olo *&* Omundus Daniæ *regis*, 48, 49

P.

PHeonia *perperam apud* Saxonem *Grammaticum pro* Sueonia, 7
Picti Britannos *adorti a* Theodoſio *duce repelluntur*, 52
Item a Maximo, 57
Atq; a Victorino, 61
Et a Gallione, 63

Q.

QUaſirus *heros* Scythicus, 12
Quadi *perperam apud* Zoſimum *pro* Chamavis *poſiti*, 52
Valentinianum, *Imp. oppugnant*, 56
Quintinus Francos *Vincit*, 59

R.

ROus Haldani *Frater*, 8
Rous *alter* Daniæ *Rex*, 21, 22
Runhofdi Runarum *caput*, 16, 17
Roſtiophus Finnicus, 9
Rinda Ruthenorum *prin-*

principis Filia, Ibid.
Reidgotolandia *eadem cum* Jutia, 14
Regnerus *ſive* Reinerius Sueciæ Rex, 8
Rolpho Daniæ Rex, 22, 24
Ratherius Francorum Rex, 42
Ricimerus Rex Francorum, 45
Rex Saxonum *anonymus* Daniæ *regem laceſſit*, 28
Rex Suevorum *anonymus* Indos *naufragos* Metello Celeri *tranſmittit*, 35
Rethmaidus *Princeps* Scoticus, 61

S.

STreſæus *primus* Saxonum Rex, 1
Scephus Heremodii *Filius*, 2
Scaldius Scephi *Filius*, Ibid
Sifridus Hadingum *oppugnat*, 4
Sibdagerus Norvegiæ Rex, Ibid.
Scatus Haldani *Frater*, 8
Scada Hemingi *Mater*, 14
Scioldus Odini *Filius diverſus a* Scioldo Daniæ Rege, Ibid.
Suanovita Sueciæ *regina*, 24
Siggus Odini *Filius*, 14
Sculda Rolphonis *Soror*, 22
Siricius *Princeps* Saxonum, 21
Sido Rex Suevorum, 43
Sicambri *in* Gallias *trajecti*, 38
Suertingus Rex Saxonum, 40
Suertingus *junior*, 42
Starcatherus *pugil* Scandianus, 41
Sigarus Vilchini *Tertii Frater*, 44, 45
Sigarus *alter* Bertoldi *Filius*, 68
Sivar-

Sivardus Daniæ Rex 48
Sclavi Bodonem *adjuvant*, 49

T.

THorro Fernioti *Filius*, 4
Thorra *alter* Odini *Filius*, 23
Tetuas *sive* Tectius Saxonum Rex, 2
Tyrus Odini *Filius*, 20
Thora *ab* Helgone *constuprata*, 21
Thora *altera* Cusonis *Filia*, 23
Tosto *cum* Sifrido Hadingum *infestat*, 4
Tordo Suecus *cum* Geldero Saxone *pugnat*, 31
Titillus Orientalium Anglorum Rex, 70
Thalargus Rex Pictorum, 57

V.

VItæ *unde dicti*. 3
Væus & Velirus Odini *Fratres*, 13
Veldegius, Vitelgeta, Vegdegus & Vinta Odini *Filii*, 20
Ursa *incesta* Helgons *Filia*, 27
Viggo *Miles* Danicus, 24
Veremundus Daniæ Rex, 28
Uffo Hundingi *Frater* Sueciæ Rex, 8
Uffo *alter*, Veremundi *Filius, cum regis* Saxonici *Filio, ejusq; satellite, solus congressus utrumq; perimit*, 29
Idem cum Offa *Seniore apud Monachum Sancti* Albani, 30
Vigletus Daniæ Rex, Ibid.
Vilchinus *Primus* Saxonum Rex, 36,38

Vilchinus

Vilchinus *Secundus*, 44
Vilchinus *Tertius*, 45
Vannius *Rex Suevorum*, 38
Vangio *Suevorum Rex*, 43
Vitichindus *priscus Saxonum Rex*, 45
Vitichindus *alter* Vernechini *Filius*, 69
Vecta *Rex Saxonum*, 50
Vita *ejus Filius*, 52
Valentinianus *Imp. Saxones cædit*, 53
Vitigisilus *Saxonum Rex*. 61

W.

WIlliusRex Saxonum, *alias* Julius & Wilke *dictus*. 44

FINIS.

ERRATA.

PAg. 11. Lin. 18 lege, *firmitate.* p. 14. l. 16. poſt *decepti* adde *cum* p. 19. l. 2. poſt *tractatu* adde *haud.* p 20. l. 3. *inſulis.* l. 13. *Vitelgetam.* p. 21. l. 3. *cognomento.* l. 4. *Helgo.* p. 22. l. 20. *filium.* p. 23. l. 1. *præficit.* l. 2. *Joannes.* p. 27. l. 10. *Thorro.* p. 29. l. 5. *adminiſtrando.* p. 32. l. 4. poſt *Tordone* adde *aut ejus ſucceſſore Gotharo.* p. 36. l. 20. *adegerint.* p. 49. l. 16. *pugna.* p. 56. l. 14. *mole.* p. 57. l. 9. *conſecutum.* p. 64. l. 29. *marcebant.* p. 67. l. 20. *obtinuerat.* In regum *Saxonicorum* Catalogo ad libelli calcem adjecto, inter *Artharicum* & *Vilchinum* primum interſeratur, *Anſonaricus.*